lendi quacumque via poſſet; verum cum illos erudire non poterat ſingillatim, neque immediate per ſe ipſum, ut defectui ſuo ſuppleret, in locum ſuum ſuffecit Chriſtianos omnes, ut ſecundum hoc ipſum conſilium exercerentur, alii quidem ratione peculiari, & per miſſionem magis explicitam ut Apoſtoli, qui univerſas luſtrarunt orbis plagas, alii ex officio annuntiantes populis Evangelium & prædicantes illis veritates, tanquam paſtores, & Concionatores: ſed bonum exemplum omnibus æque commune eſt. Hac potiſſimum in re Chriſtianus ſuſtinere debet honorem, quo præditus eſt cum ad Dei ſervitium vocatur, ac teſtari, quonam amore proſequatur illum, ſubditos illi adquirens, & mortales, qui fideliter eidem deſerviant; hoc enim pacto caritas, qua diligit proximum, tendit in Deum, quemadmodum a Deo profecta eſt.

Qua in re habet etiam velut prototypum Dei filium, qui cum non vixerit in omnibus ſtatibus, & conditionibus, nos ad hoc officium vocavit in ſocietatem, ut quod ille incepit, adimpleremus. Hac via adeſſe debet omnibus in locis, & hac ſucceſſione omnibus temporibus adlaborabit; hac induſtria in tot ſeſe multiplicat exemplaria, quot ſunt Chriſtiani in omnibus conditionum generibus; hac de cauſſa tandem dicebat Apoſtolis ſuis, quod intelligendum eſt de omnibus veris Chriſtianis, illos eſſe mundi lumen: *Vos eſtis lux mundi*, (*Matth.* 5.) vel ſaltem totidem ſydera, quæ lumen ab illo mutuatum reflectere debent, & quocumque terrarum effundere. Itaque, Auditores, ut diſcatis chriſtianam humilitatem cum boni exempli luce conjungere, oculi tantum in Cælum vobis ſunt attollendi ad Aſtra conſideranda, quæ in Scripturis ſignificant viros bonos; quamvis illa ſint corpora propter magnitudinem immenſa, luce, ardore, ignique repleta. Tamen de illis nonniſi punctum coruſcans intuemur, & cetera cælo teguntur. Hoc vitæ Chriſtianæ ſecretum eſt, hominum oculis abſcondere fundum virtutum noſtrarum, pietatis praxim, ſecretas eleemoſynas, mortificationes, bonos ſenſus, quos nobis Deus tribuit ut vitam latentem ducamus; debemus tamen illis aperire identidem lucem aliquam, & radium perfungentes officiis hominis Chriſtiani, accedentes crebro ad Sacramenta, audientes verbum Dei, inviſentes nonnunquam xenodochia, & carceres, ut bono ſatisfaciamus exemplo, & Chriſtianæ caritatis officio, quæ poſtulat, ut illum mundo univerſo cognoſcendum tradamus per zelum, quo flagrare debemus gloriæ ipſius. *Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro*, (1. *ad Cor.*) inquit Apoſtolus.

Hoc autem neque facilius, neque efficientius fieri poteſt, niſi bono exemplo, quod alios dirigit, ac deducit, quemadmodum ipſum exempli nomen nos docet: nam ſicut idea, quam Philoſophi vocant cauſſam exemplarem, norma eſt opifici operis ſui, ſine qua nihil facere poſſet, ita exempli hoc proprium eſt, ut alios regat, eiſque norma ſit ad agendum, vitamque ſuam componendam. Quibus adjiciendum eſt vulgo duo exemplarium genera diſtingui, alterum quod interius eſt, & in artificis mente; velut cum Pictor animo concipit venuſtam facti graphidem, ſecundum quam opus ſuum ſtudet effingere; alterum vero exterius, veluti cum Pictor idem tabulam aliquam imitari conatur, & alteram adumbrat ad imitationem illius, quam ſibi ob oculos proponit. Ita & in Chriſtiana vita, duo ſunt veluti exemplaria, quæ nos regunt, atque deducunt; interius alterum, noſtra videlicet conſcientia, & lumen rationis per fidem illuſtratæ; ſed hoc ſatis non eſt; alterum præterea requiritur, quod ſenſus noſtros afficiat, & hoc exemplar eſt bonum exemplum. Verum eſt, in artibus eximios quoslibet magiſtros gloriæ ſibi vertere ex ſemet invenire, & proprias tantum ideas ſequi, tyrunculis relinquentes exteriora exemplaria, ut illa in operibus ſuis imitentur. Sed in Chriſtianiſmo noſtis nos nequaquam eſſe perfectos, & nos ſemper indigere exemplis, atque prototypis, quorum auxilio operemur, & progrediamur. Deus enim non omnia tribuit ſua dona, & favores uni, ſed illos aliter, aliterque diſtribuit, unde ſequitur, quemadmodum homines habent varia naturalia talenta, varias etiam habere virtutes, vel ſaltem quaſdam, in quibus præſertim præ reliquis renident. Quamobrem cum mortalis homo nequeat in omnibus eſſe perfectus, ut in omni virtutum genere tanquam prototypus habeatur, opus eſt, ut omnes in id conſpirent, atque contendant, ut quod ab uno habere non poſſumus, a pluribus mutuemur.

Verum hoc ipſum ſimul illud eſt, quod conſtituit neceſſitatem, in qua ſumus, bonum exemplum præbendi. Mihi igitur audire videor, Auditores, Mundi Salvatorem eadem dicentem, quæ dixit olim Apoſtolis ſuis: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* (*Joan.* 15.) Opus eſt, ut vos, qui aliquam in alios habetis auctoritatem, voſmet cogitetis tanquam peculiares Apoſtolos, quibus miſſio immediate data eſt a Deo. Grex veſter eſt familia veſtra vobis exemplo veſtro regenda: *Forma facti gregis ex animo*, (1. *Petri.*) inquit Princeps Apoſtolorum; zeli veſtri argumentum erunt omnes ſocietates, quibus frequenter intereritis; quibus conabimini virtutis nitorem oſtendere inter tenebras tot vitiorum, quæ eidem offundunt caliginem. Vita veſtra, Pater quidam ait, eſſe debet interpretatio vivens, & animata Evangelii ad illud explicandum, atque in praxi oſtendendum. Vos eſtis totidem legati, atque vicarii Filii Dei, ut loquitur S. Paulus: (1. *ad Cor.*) Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam totidem echo vocis illius, ut exaudiatur in locis, ubi non auditur; verbo, tanquam totidem Salvatores, qui debetis ut ille, contendere ad homines ſalvos faciendos, inter quos exemplum veſtrum parere poteſt bonum inæſtimabile.

II. PARS.

Ut hac de re nobis ſit perſuaſum, Auditores, ſufficit in memoriam revocare, Dei Filium illud lumen vocare, ad innuendum ipſum virtuti æque neceſſarium eſſe, ac lumen vitæ; quandoquidem eoſdem habet effectus in ſpiritus, quos lumen in corpora; nam primum hoc exemplum nos illuminat, & nobis oſtendit bonum meliori in luce, quam fieri poſſit, deinceps nos calefacit, & ciet ad amplectendum hoc ipſum bonum, quod nobis aperuit. Adnitar paucis ſolum utrumque explicare vobis effectum. Verum eſt, vulgo dici egregium præceptorem efficere, ut ſcientia altius pervadat per aures in ſpiritum diſcipuli ſui, ipſi aperiens, & enucleate evolvens obſcuriſſimas, & impeditiſſimas difficultates, quam ille oculis ſuis ſatis prolixa lectione poſſet detegere. Hoc utique crederem, ſi noſmet continemus intra terminos naturalis philoſophiæ, aut veritatum mere theoreticarum; nam quod pertinet ad morum diſciplinam, vitamque bonam, experientia ſatis oſtendit nobis, bonum longe aliter nos permovere, oblatum ſingillatim exemplis, quam generatim verbis, atque præceptis: *longum iter per præcepta, breve per exempla.* (*Seneca.*) Et hinc cognoſcite quantum bonum efficere poſſit perſona exemplo ſuo; nam ſicuti efficientius eſt quam omnia verba, nullus ſermo eſt, lectio nulla, quæ cum illo poſſit conferri, & audeo dicere, hominem optimi exempli in civitate, longe magis prodeſſe, quam centum concionatores. Nam præterquamquod una ex primis Concionatorum conditionibus eſt illos actibus potius quam verbis prædicare debere; alioquin vox eorum, non aliud eſt, quam ſonus evaneſcens in aere, & omni carens effectu: *Cymbalum tinniens* (1. *ad Cor.*) eam vocat Apoſtolus: bonum exemplum, quod mutum prædicatorem appellare poſſum, bonum oſtendit in praxi, unde accidit quod ſicuti boni ſpeculatio communis eſt omnibus, & nequiſſimus quilibet peccator habet neſcio quam ſecretam virtutis æſtimationem, cujus ſæpe ſunt panegyriſtæ, ac admiratores, & e contra perpauci ſunt, qui illam exercent; erudire, ac docere exemplis, eſt habere lectionem, quæ oſtendit, quod dicit, & docet id, quod facit, illudque per oculos demittit uſque in animum, ideoque illum evincit, eique perſuadet. Cum igitur virtus in id ſita ſit, ut faciat bonum, & non illud tantum cognoſcat qui docet illud exemplo faciens, longe meliori modo illud docet.

Quantæ conſolationis, Auditores, hoc eſt, virtute prædito, qui aliquando putat ſe inutilem eſſe in mundo, & ineptum, qui aliquid operetur pro Deo; & qui tamen ſentit validos motus ut mortales omnes ad Dei amorem, & cultum traducat; cum videt zeli ardorem infirmitatibus ſuis impeditum, vel qui de ſua conqueritur conditione, qua prohibetur ne quid inſigne pro Dei gloria operetur? Nequaquam, animæ Chriſtianæ, non habetis occaſionem invidendi vel Prædicatoribus eorum ſuggeſtus, validoſque ſermones, vel Apoſtolicis viris eorum labores, & curſus: Veſtrum exemplum, & modeſtia veſtra in tanta aliorum licentia prædicat eloquenter, & plus fructus afferet anno uno, quam Prædicator fortaſſe tota vita; Verecundia, & pietas veſtra prædicare poteſt ſingulis diebus: Patientia, quam teſtabimini in perferenda hac calamitate, & perſecutione teſtem habebit integram civitatem, quæ ſummo cum fructu ædificabitur. Pergamus ad prædicandum, dixit quadam die cuidam ex fratribus ſuis Franciſcus, quem cum deduxiſſet per compita, vias, plateaſque civitatis, domum rediens, quin ullum protuliſſet verbum, Frater ille hoc ſilentium interpretatus oblivionem hominis de Deo occupati, & in profunda contemplatione abſorpti, volenſque in memoriam revocare eidem conſilium ab eodem initum prædicandi; jam actum eſt, magnus hic Sanctus reſpondit; viſi fuimus deambulantes, noſmet oſtendimus, conſpiciendos noſmet præbuimus; hic fuit ſermo, qui a me erat habendus. Adeo verum eſt, Auditores, quod Tertullianus inquit de homine bono: *Dum videtur, auditur*; (*L. de pallio.*) ſatis eſt illum videre, ut intelligatur. Et ſane cuinam rei acceptum referendum eſſe putatis magnum illud & admirabile converſionis Mundi prodigium? Dei verbo, reſpondebitis, nec inficior; ſed verbo huic animato, & exemplorum auctoritate probato, ſine quo Apoſtoli altera quidem manu ædificaſſent, altera vero deſtruxiſſent, & omnis eorum doctrina ſpectatoribus caruiſſet. Sed viſa fuit eorum doctrina cum vitæ illorum exemplis conjuncta; lumen hoc ita refulſit in oculis mundi, tot radios emiſit, ut non videri non potuerint. Evangelicæ veritates magnum edidere ſtrepitum, & in ore illorum tonare videbantur, S. Chryſoſtomus ait; ſed fulgura præcedebant illa in vita ipſorum, & in eorum actionibus, & diceres, quemadmodum Solis lumen momento ſeſe quocumque diffundit; ita lumen exempli facile pervadere in animos omnium, adeo flexanimum eſt, & efficax ad bonum docendum. Immo ſæpe etiam plus roboris habet, quam miracula; teſtis eſt S. Joannes Baptiſta, qui cum nullum operatus fuerit, quod noverimus, prodigium, tamen exemplum vitæ, zelus, & pœnitentia ad ipſum pertrahebat omnes peccatores; & ſi Apoſtoli in vita ſua non oſtendiſſent, quod ore populis annuntiabant, cum omnibus miraculis ſuis nihil profeciſſent: Mortuos reſuſcitaſſent, cæcis viſum reddidiſſent, ſed nemo vitæ rationem mutaſſet. Quorſum iſtud? Actiones eorum inſpectæ fuiſſent; ſi minime faciunt, quod dicunt, dictum fuiſſet, ne illi quidem credunt quod dicunt; ergo ne ipſi quidem nos

impel-

impellent ad id credendum; ad agendum vero multo minus. Hinc videtis citra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe, exemplo longe magis, quam ceteris quibuſcumque rebus illuminari, atque erudiri.

Tale enim eſt hominis ingenium, ut claræ ſint licet, atque conſtantes veritates, quas nobis proponit, iis victas manus dare non poteſt, niſi viderit illas per exempla practice exerceri. Frigide excipiet omnia ſeverioris morum diſciplinæ placita, & quidquid maxime ſublime eſt in Evangelio. Illius admirabitur ſublimitatem, magnitudinem, ſanctitatem; ſed ut illud exerceat, petit exemplum. Novit ille quidem facile eſſe Religionis ſyſtema proponere, & regimen vitæ omnino ſanctæ, ejuſque officia, & exercitia moderari, terrenarum rerum, honorumque vanitatem oſtendere, & nihilum: ſed hæc omnia nunquam in corde ſuo magnum obtinebunt effectum, niſi viderit eos, qui præclara hæc inſtituta proponunt, illa priores obſervare. Et fortaſſe ratio eſt, propter quam adeo modicum fructum intuemur, converſiones adeo infrequentes, devotionem adeo raram in mundo, quamvis numquam antea plures extiterint Prædicatores, Miſſionarii, Directores, neque tot homines, qui alios erudire conantur. Heu! Dicere erubeſco, exempla æque rara ſunt, ac frequentes ſunt correptiones. Olim uno tantum, vel etiam altero opus erat Apoſtolico viro, ut urbes, & Provinciæ totæ faciem mutarent, & ut ubique fides, ac pietas refloreſceret; eorum enim verba prodeuntia ex animo affecto iis veritatibus, quas nuntiabant, eumdem accendebant ardorem in cordibus eorum, qui audiebant illos; & modo fortaſſe pleriſque illud ipſum exprobrari poſſet, quod Salvator olim Evangelicis Phariſæis exprobravit: *dicunt, & non faciunt.* (*Matth.* 27.) Bene quidem dicunt, ſed non faciunt quod dicunt. Quapropter verba eorum ſunt ſterilia, quæ non ſolum carent effectu, ſed quæ nihil proſunt, niſi ad conciliandum contemptum, cenſuram, & irriſiones hominum, cupientibus alios docere, coarguere, reformare, cum illi ipſi ab exacta abhorreant regularitate.

Neque enim arbitrandum eſt, mundum, qui adeo parum æquum ſe præbet illis, qui nullam ipſi reprehendendi anſam præbent, ita affectum eſſe, ut æquo patiatur animo eos, qui inter ceteros niteſcere volunt, per ea, quæ tot ſuppeditant cauſſas, illos deprimendi: ita illis minime parcit; quilibet ſumptibus ſuis fit ſpiritualis, & nemo eſt, qui non ſexcentas efficiat animadverſiones de vita eorum, atque ſermonibus. Hæc tota eſt merces illa, quam expectare debent a zelo ſuo inordinato, qui ab ipſis initium ducere debet, & in alios ſe non effundere, niſi ex plenitudine & abundantia caritatis. Alioquin omnia monita, quæ inſtituuntur, omnes correptiones, quæ adhibentur, omnes virtutum lectiones, quæ iterantur, ſunt aptiores ad laceſſendos eos, qui audiunt, quam ad corrigendos; & quin inde meliores evadant, in vitiis ſuis obdurantur juxta exemplum eorum, a quibus corripiuntur, vel ſaltem rationem inveniunt, qua ſibi inflictas objurgationes eludant. Vobiſmet fingite Patrem effuſis libidinibus depravatum, cujus filius ad oblatum ſibi exemplum imitandum pronus eſt; vel mundanam matrem, cui ejuſdem indolis eſt filia; ſi alter filio voluerit tradere temperantiæ præcepta; altera vero natam ad modeſtiæ, & verecundiæ leges componere; inſignem profecto obtinebant effectum. Vellem equidem videre, quo ore, quo exordio utentur, ut quod cupiunt aſſequantur; & quid illi objurgationibus ſuis ſint profecturi. Poteruntne effugere æquam reprehenſionem, quam illi clam referent? Heus tu, qui alios regere, ac reformare contendis, quæſo te ipſum excute. Et ſi vis nos tuis adhærere monitis atque conſiliis, cur non illa prior ante alios capeſſis?

Quod ſi ratio auctoritatis, aut honoris, quo frueris, vel characteris, qui tibi eſt, aliorum jugulat ſatyras, atque cenſuras; illi ſaltem in corde ſuo tua contemnent conſilia; & quin illa æqui, bonique faciant, ſtudebunt illi improba ſedulitate vitam tuam inquirere, ad examen opera tua revocare, verbis contradicere, ac tandem ſibi in ludibrium convertere monita, quæ præbes, caritate repleta, & nunquam deerit ipſis retribuendi facultas, quin de illis conqueri jure valeas, quandoquidem tu illis hanc adeo præclaram occaſionem præbuiſti. Quod ſi præceptis, monitiſque tuis exemplum acceſſerit; quidquid dixeris in meliorem partem accipietur; nihilque erit, quod tibi exprobretur, vel objiciatur; cum monita, conſilia, & correptiones tuæ tuis actionibus fuerint probatæ.

Alter boni exempli effectus eſt, nos ad bene agendum excitare, lucis inſtar, quæ fovet ſimul, ac illuminat. Conſtans enim eſt veritas, exemplo pondus eſſe, ac admirabilem vim in rebus omnibus, ad eorum executionem urgendam, & finem obtinendum, ſive quod animum, & aliorum generoſitatem extimulet, quos pudet non ſequi, quod fieri vident ſub oculis ſuis, ſeu quod viam ſternit, ac oſtendit, rem factu eſſe facilem, & non arduam, qualis exiſtimabatur. Sed audeo dicere hoc toto cælo magis eſſe neceſſarium ad virtutem, quam ad regulam morum. Sunt enim quamplurimæ animæ infirmæ, quas ineptus pavor, & humana ratio a pietatis exercitiis detorquet, & quæ reformidant, ut ſcrupuloſæ, ac ſingulares habeantur, ſi Dei partes fuerint amplexæ: Quamobrem infirmæ id genus animæ contra periculoſam hanc tentationem ſunt roborandæ. Hoc autem melius fieri non poteſt, quam aliarum exemplo, quod illas a ſingularitatis probro defendit.

Qua in re ſi modo dicimus eos, qui genere, & honore præſtant majori teneri neceſſitate in mundo, quam alios, bono exemplo præeundi; dico ego hos eſſe aptiores, quibus hoc benevertat; quandoquidem non deſunt circumſtantiæ, ubi quin aliud adhibeant quam exemplum ſuum, pares ſunt, ejiciendis omnibus vitiis a civitate, & aliis omnibus ad virtutem animandis; ita ut hoc ſit aliquid ad mundi totius reformationem conferre, a ſuimet ipſius reformatione ducere initium. Ita, Auditores, indiſcretus hic zelus, & ſine ulla auctoritate, qui efficit, ut invehamini modo adverſum regimen ſtatuum omnium, modo contra abuſus, qui in juri dicundo committuntur, modo in Eccleſiaſticæ diſciplinæ relaxationem; & denique contra omnia flagitia, quibus nullam afferre poteſtis medicinam, hic inquam zelus nonniſi ab acri proficiſcitur temperamento, quod bilis inflammat, quod ſeſe exonerat per inutiles has invectivas. Si tibi malo medicinam faciendi facultas deeſt, conſtat Deum a te rationem nequaquam expetiturum: ſed memoria teneas, generalem morum reformationem quam cupis, pendere a reformatione ſingulorum; & tibi a te ipſo initium eſſe faciendum, ut aliquid conferas alienæ, præbens illis exemplum, teque proponens tanquam virtutis propotypum omnibus illis, qui in eadem conditione verſantur; hoc enim tandem a te potiſſimum expetit Deus.

Si hoc munere, ut opus eſt perfunctus fueris, ne parum te feciſſe putes; impreſſio, quam gignet exemplum tuum omnibus illis, qui pendent a te, ſe ſe extendet ad eos omnes, qui te norunt, & cum quibus conſueſces; qui te fuerint imitati, pertrahent alios, & hoc pacto non ſatis æſtimabilem fructum conſequeris.

Sin minus hunc obtinet effectum erga omne perſonarum genus, ſaltem pudore ſuffundit illud ſequi detrectantes: *Tu non poteris, quod iſti, & iſtæ?* (*L.* 8. *Conf. cap.* 11.) Hoc olim caſtitas exprobrabat Sancto Auguſtino, & hoc illud eſt, quod nunquam valuit ſuſtinere. Quid! tot mortales æque ac tu bene nati, & infirmi non ſecus ac tu huc uſque devenere: igitur non ferenda eſt ignavia illos non imitari; & rationi huic nihil eſt, quod reſpondeatur. Talis facit bonum hoc vel illud; cur tu illum non facies? Hoc exemplum vim non habet, ut nos a malo deterreat; eo uſque ut ſæpe viri boni aſpectus, ad impudentiſſimum quemlibet frænandum ſufficiat. Tertullianus ait: *Vitia ex excurſu meo ſuffundo.* Solus ejus aſpectus, & occurſus tacita eſt reprehenſio, & correctio, quam ferre tenentur; & vitium quantumvis impudentiſſimum, eo præſente, abjicit arma; ſed quæ confuſio erit aliquando videre tot mortales, qui nos præceſſerunt, & illos ſequi auſos non fuiſſe? Quæ excuſatio, qui prætextus, cum nobis oſtendentur ejuſdem profeſſionis, ætatis, conditionis homines, qui omnia fecerunt, & nos fecerimus adeo parum? Quæ ſpes nobis erit reliqua, cum illi, qui nobis Cæli viam indigitarunt, primi ab illius aditu prohibebunt, noſtramque damnationem urgebunt?

Concluſio.

Sed quoniam illi, quos alloquor, optimi ſunt exempli, uti credere juvat, neque ullo indigent ſtimulo, niſi ut hac animi virtute macti in eadem perſiſtant, non alia opus eſt concluſione, nec ratione alia, ut eos perſuadeam, quam iterum dicere, hoc præſtantiſſimum eſſe ſubſidium ad aliquid proximorum ſaluti conferendum. Heu! ſi ſciretis auditores quid ſibi velit, quid ſit, animam Deo lucrifacere; & quid ſignificent verba illa Evangelica: *Lucratus fueris fratrem tuum?* (*Matth.* 18.) Nulla eſt huic ſimilis gloria, nulla conſolatio in mortis articulo gravior, quam prodire in conſpectum Dei, de quo meriti fuerimus in re hac, qua nihil illi eſt antiquius. Nunquid negabit ille nobis cælum, poſtquam ejuſdem viam ſtraverimus aliis exemplo vitæ? Certum eſt quamcumque ſententiam Deus in nos prolaturus ſit, ſi ita beati fuerimus, ut ſaluti proximi noſtri contulerimus aliquid; has animas, quarum ſalutem procuravimus, acceſſuras ad Tribunal Dei, ut illius miſericordiam deprecentur, & elata voce clamaturas, ut olim populus Iſrael Jonathæ virtute ſalvatus, æquum non eſſe, ut pereat ille, qui ſalvos fecit alios; vel ſi quis alios erudiverint, & docuerint, fulgere debent aliquando tanquam ſtellæ in cælo: *Qui ad juſtitiam erudiunt multos, fulgebunt ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates.* (*Daniel.* 18.) Quandoquidem oſtendimus, optimam erudiendi formam eſſe exemplis docere: dicamus his potiſſimum dici hæc verba, & hanc referri remunerationem, ut cum ſyderum munere fuerint perfuncti in terra, illud in cælo etiam exequi perſeverent.

SERMO SEPTIMUS.

De Bona rectaque in actionibus omnibus intentione.

Bona in actionibus intentio ratio eſt noſmet ſanctificandi.

SAtis non eſt, Auditores, in Chriſtiana Religione bonas actiones peragere, niſi ſtudium eas bene faciendi acceſſerit; quia ſi hoc deſit, totius virtutis labor ſuſtinetur, quin merces obtineatur. Multa etiam committuntur ſcelera in ſanctiſſima caritatis praxi, & minus malum, quod accidat, eſt plurimos quidem labores ſuſtinere, ac nullum meritum aſſequi. Etenim nonne hoc Salvator in Evangelio exprobrat Phariſæis, qui procul dubio bona faciebant opera, & qui ſatis aſſidue videbantur in præſtantiſſimarum virtutum, jejunii, eleemoſynæ, & orationis exercitatione, ſed hæc omnia prava intentione vitiabant, non alium actionum ſuarum

finem

finem habentes, quam hominum plauſus, quorum oculos non uſitatæ virtutis claritate perſtringere conabantur. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me.* Quod autem Filius Dei ſatis crebro exprobribat Phariſæis, hodie quoque pleriſque fidelibus exprobrari poteſt: ſexcentas bonas actiones peragentibus ſine merito, quorum auſteritates omnes, laboreſque Cælo inutiles ſunt; quia cum fiant ſine integritate, & per cupiditatem, ut ab hominibus videantur, & illis placeant, hic totus eſt fructus ille, quem ſperare poſſunt, *Hominum juſtitia voluit videri, & viſa eſt*, S. Chryſoſt. inquit: (*Serm.* 7.) *voluit hominibus placere, & placuit; habet mercedem quam voluit, præmium, quod habere noluit, non habebit.* Hoc vos quidem hodierna die excitare debet, ne bonorum operum veſtrorum fructum amittatis, ob humanam rationem aliquam, quæ illa corrumpere poſſet; me autem ad tradendam vobis artem efficiendi, ut merita veſtra in infinitum creſcant, & minimæ quævis actiones veſtræ, inæſtimabile coram Deo pretium conſequantur per rectam puramque intentionem, quæ vobis eſſe debet facientibus, illa videtur, Auditores, unica, vel ſaltem præcipua, quam Sapiens Deo tribuit occupatio eſſe, ſcrutari ſecretiſſimas hominum actiones, & oculos ſemper apertos habere, ut videat, quid fiat in abditiſſimis cordium ipſorum latibulis. *Oculi Domini multo plus lucidiores ſuper Solem circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & intuentes corda in abſconditas partes.* (*Eccli.* 23.) E contra Ethnici in tenebris errorum ſuorum, propriis cupiditatibus excæcati, credebant libenter Deum cæcum & nihil videntem eorum, quæ facerent; alioquin metus diſplicendi illi, & ſola cogitatio illum ſemper oculatum teſtem habendi, eos ſemper coegiſſet agere hac mente, quod illis ſemper crucem fixiſſet, quæ ſane offendiſſet amorem libertatis ipſorum. Sed dicam ne hodierna die in ſumma Evangelii luce licentiam pleriſque mortalium auferre intuitum, & cogitationem Dei, qui non ſolum omnes & ſingulas ipſorum actiones intuetur, ſed etiam ad examen vocat intentiones ipſas, cum quibus fiunt, & de earum bonitate judicat ſecundum earum veritatem, rejiciens omnes ſpecies exteriores, quibus eſſe poſſent involutæ. Ratio eſt, cum enim teneatur ille per magnificentiam prorſus divinam dare cælum, & beatam æternitatem in præmium minimorum etiam operum bonorum, nemo eſt, qui adeo diligenter inſpiciat ea, quæ emit, antequam earum pretium perſolvat, ut Deus omnes actiones noſtras perpendet, quarum, ut ita dicam, numerat omnes perfectionis gradus, antequam ſe ipſum in mercedem retribuat. *Ego ero merces tua magna nimis.* (*Geneſ.* 15.) Quandoquidem vero intentio regula & menſura eſt bonitatis omnium operum noſtrorum, & præcipua conditio, quæ requiritur ad tantum bonum promerendum, ſinite, me hodierna die vobis tradere artem, ne amplius fruſtretur vos fructus laborum veſtrorum, jacturam facientes meriti bonarum actionum veſtrarum. Quam ob rem fert animus vobis oſtendere primum intentionem efficere bonas, pravaſque operationes, eamque harum qualitatem, pretiumque conſtituere; & ſecundo loco indigitare vobis, quam utilitatem ex adeo ſancta exercitatione percipere valeamus ad faciendos progreſſus admirabiles in virtute. Nihil eſt, quod nobis antiquius eſſe debeat duabus hiſce veritatibus.

I. PARS. Si rectæ mentis, bonique ſpiritus intereſt, rebus in omnibus ſolido inhærere, quin inanes ſpecies conſectetur, audeo dicere Auditores, hoc axioma nullibi utilius eſſe, quam in pietate, ac in virtutis exercitatione. Illuſio mera eſt ex externa tantum ſpecie ferre judicium, & ex iis tantum, quæ ſenſus afficiunt, ſed quod factum coram Deo commendat, & quod illius pretium, atque præſtantiam conſtituit, illud eſt quod maxime latet, intentio videlicet, & cauſſa. Etenim ſi ut humano agas more neceſſe eſt, ut tibi finem proponas, qui cognoſcatur, & ad quem veluti ſcopum contendas; & ſi hac in re a brutis ſecernimur, quæ nonniſi per inſtinctum, & naturæ impetum, quæ illa trahit potius, quam ducat, operantur; profecto nequit dubitari, quominus ut ſupernaturaliter, & Chriſtiano more agentibus proponendus ſit finis ſupernaturalis. Effectus nobiliores eſſe non poſſunt ſua cauſſa, & actiones noſtræ altius nequeunt elevari fine ſuo. Hoc in rebus omnibus ad mores ſpectantibus eſt principium, & cauſſa prima, quæ reliquis motum tribuit. At primus actus, qui ad hunc tendit finem, eſt primum organum, quod omnes facultates noſtras ciet in executione conſiliorum noſtrorum, eſt intentio, quæ non aliud eſt, quam deſiderium, & voluntas, quam habemus finis hujus; ita ut ſi quem prætendimus juſtus eſt, ſi honeſtus, ac tendit ad Sanctitatem, intentio, quæ deſiderii hujus eſt index, neceſſaria illatione, juſta eſt, ſancta, & honeſta, & effundit bonitatem ſuam in actionem, quæ non aliam habere poteſt, niſi quam a fine ſuo mutuatur.

Hoc poſito veluti tanquam fundamento eorum omnium; quæ vobis oſtenſurus ſum, dico iterum intentione conſtitui actionum qualitatem, videlicet fieri ſanctas, vel noxias ſecundum cauſſam, propter quam fiunt; primum quia cum de moralibus ſermo eſt, nihil virtus eſt, nec eſſe poteſt ſine illa; quapropter S. Ambroſius ait, nos nihil facere boni, niſi quatenus illius faciendi intentionem habemus: *Quantum intendis, tantum facis*; vel ut alter adjicit: actio ſine intentione corpus eſt ſine anima, ſine vita, & ſine motu; intentio vero animat actionem, eam diſtinguit, ac in tali virtutis gradu conſtituit, & ad hunc, vel alium perfectionis ſtatum perducit. Ad hanc veritatem nobis perſuadendam Sacer Textus duabus utitur ſimilitudinibus, quæ ad vivam exhibent illius naturam, & effectus. Altera ex corde eſt deſumpta: *Dominus autem intuetur cor;* non ſolum eo quod a corde procedit, quemadmodum dici conſuevit, non reſpici tantum id, quod fit, vel quod datur, quantum cor; videlicet quantum intentio, & affectio, qua aliquid datur, vel fit: verum etiam, quia cum cor ſit prima pars, quam efficit in corpore natura, primum vivens, & vitæ principium, ut ita loquar; ita ut ſicuti ubi primum cor oppugnatur, jam de vita actum eſt, & mors conſequens neceſſario evitari non poteſt; ita ſi deficiat intentio, videlicet ſi quopiam fine pravo corrumpatur, hæc eſt actio mortua, nullius pretii, valoris, & meriti coram Deo: vel ſi mavis, quia ex corde metimur nobilitatem, & qualitatem hominis, velut cum Deus Saulem ad Regis dignitatem attollere voluit, eique populum ſuum regundum committere, non aliud fecit, niſi quod cor omnino regium ei tradidit: *Immutavit ei cor aliud;* (1. *Reg.* 10.) & ex oppoſito, cum voluit de gradu dejicere Nabuchodonoſor, & ad brutorum genus redigere, ratione pari, ei cor immutavit: *Cor ejus ab humano commutetur, & cor feræ ei detur.* (*Daniel.* 4.) Hoc facit intentio. Vultis magnum aliquod nobile, ſublime facinus aggredi, ac illud ad ſupremum perfectionis gradum transferre? Date illi nobilem, præſtantemque intentionem; e contra quomodo noſmet abjiciemus ad actiones homine indignas, ut ad brutorum conditionem perveniamus, niſi per humilem, ſervilemque intentionem, qua illas operabimur?

Alia ſimilitudo, qua ipſe Dei Filius utitur in Evangelio, ab oculo deſumpta eſt: *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus lucidum erit.* Inquiunt enim Sancti Patres, ſicut oculus totam oris pulcritudinem conſtituit, ſpeculum eſt animæ, dux viæ noſtræ, & quidquid magis in humano corpore nitet; ita intentio efficit omnem nitorem, ac pulcritudinem actionum noſtrarum, regulam qua diriguntur, & facem quæ nos in viam virtutis deducit; unde ſequitur, ut cum oculus bene affectus eſt; corpus univerſum gaudeat, & ſingula membra tuto in muneribus ſuis obeundis deducantur; dum e contra ſi aliqua labe offuſus eſt, vel ſi pulvere, vel fumo excæcatus ſit, poſt ſtatim nutabit, caput parieti impinget, & corpus tum periclitabitur, ut in ſingulos decidat gradus. Ecce vis, ac virtus, quam habet intentio, in omnibus actionibus noſtris in partem utramque: *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus lucidum erit.* Si oculus eſt ſimplex, nempe, ſi pura eſt intentio, ſine mixtura cauſſæ ullius, quæ illam corrumpat, ſimul lumen ejus, & nitor ſeſe in omne corpus effundet, videlicet in omnes actiones noſtras, in minimas etiam, & eas, quæ nullo ſunt in diſcrimine, his nitorem, ac pretium tribuens, eaſque magnificis coloribus exornans. Sed ſi oculus hic nequam fuerit, nempe, ſi hæc intentio munda non fuerit, hoc ſatis eſt, ut habeantur omnia tanquam opera tenebrarum, quæ ne auderent quidem coram hominibus prodire, ne dicam Deo placere poſſent: *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tenebroſum erit.*

Hinc conjicite, Auditores, quanti momenti ſit rectam in omnibus actionibus habere intentionem. Si enim nobis adeo cordi eſt peculiaris aliqua devotio, ſi tanta ſedulitate has vel illas preces fundimus, hæc vel illa opera explemus, quæ cura, quæ diligentia nobis erit adhibenda ad dirigendam intentionem noſtram, ſine qua nihil placere poteſt Deo, neque virtutis loco haberi poteſt, ita ut de intentione illud dicendum ſit, quod S. Paulus dicit de Caritate. Licet omnia bona opera faceres, quæ poſſunt excogitari, niſi ob oculos habueris finem bonum, & niſi ea propter bonum finem operatus fueris, hæc omnia coram Deo pro nihilo habentur: *Caritatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.* (2. *ad Cor.*) Eſto, omnia bona tua in pauperum ſinum congeras, illis omnem ſubſtantiam tuam, ut Apoſtolus inquit, diſtribuas, jejunes in arcto pane, & aqua brevi; omnes veterum Anachoretarum auſteritates exerceas, & martyrium ipſum ſuſtineas: *Si corpus meum tradidero, ita ut ardeam,* (*Ibid. c.* 135.) ac tandem efficias actiones ſanctiſſimas, & homine Chriſtiano digniſſimas, ſi in his omnibus recta intentio tibi defuerit; ſi cupiditas, aut vanitas, aut alia quædam ſimilis cauſſa corruperit actiones, quæ per ſe adeo ſanctæ ſunt, atque præſtantes: heu! dicere poteris cum Apoſtolo, *nihil mihi prodeſt.* Hæc omnia nihil mihi proderunt ad Cæli adquiſitionem promerendam. Hæc non eſt ultra Caritas, hæc non eſt ultra virtutis actio; ſubtile virus pravæ intentionis tantum obrepit; & ſi actio hæc noxia non fuerit, erit ſaltem inutilis.

Hujus rei præclaram imaginem nobis exhibet Scriptura in ſtatua Nabuchodonoſor. Hæc ex pretioſiſſimis, ſimulque ſolidiſſimis conflata erat metallis; ſed eo quod pedes, qui illius baſes erant, ac fulcra, fictiles erant, ad leviſſimum lapilli impetum corruit, & aurum, argentum, æs, & ferrum comminuit; Ita ſi bona deſit intentio, nihil ſubſiſtere poteſt, omnia vento vanitatis exſufflantur, omnia evaneſcunt, & in fumum abeunt. Quantumvis hoc tibi pretioſum, & ſolidum videatur, nihil Deo acceptum eſt, nulla virtus eſt in pretio, actio nulla jucunda eſt in oculis ejus, qui nequaquam perſtringi ſinunt, ut noſtri, rebus iis, quibus plus ineſt ſpeciei, quam ſoliditatis.

Qua igitur in re immoramini, Auditores, cum agitur de virtute, & pietate? Non ne umbram accipitis pro corpore, & quod accedit ad rem pro re ipſa? Libenter eas conſectamini actiones quæ nitent, opera caritatis quæ ſunt ſumma cum celebritate conjuncta, magnificas eleemoſynas? Abſit, quod ipſe improbem facta, quæ omnibus ſuadere vellem; verum ſæpe Deus, cujus oculus adeo perſpicax eſt, inter hæc, quæ nitent, falſum deprehendit, & metuendi locum habet, ne quæ ſecreta adſit illuſio, in hoc genere actionum, quæ non ſuſcipiuntur, niſi ut niteas, & non communem tibi laudem merearis. Repletur ſpiritus inani perfectionis imagine, quæ collocatur in virtutibus, quæ publicam exiſtimationem, & approbationem merentur; quæ ſæpe ſubtilis eſt vanitas, & delicata oſtentatio, cum Deus illas ex intentione conſideret. Ita bonitas accurata, & vita communis, ſed regularis, & recta intentione ſuffulta, quæ recta tendit in Deum, plerumque plus habet ſoliditatis, & meriti. Heu! quid igitur refert, quid faciamus, dummodo illud recte faciamus, & ſecundum ordinem officiorum noſtrorum? Quandoquidem Deus non reſpicit opus tantum, quam cor, videlicet rectitudinem intentionis, & ſine intentione nulla virtus eſſe poteſt.

Verum ſecundo loco, actiones, quæ ſanctiſſimæ, ac ingentium meritorum videntur nobis, crimina evadunt, ſi prava fiant cum intentione. Et ſane quid Deo acceptius oratione, quam Sancti tot laudibus celebrant, & quæ omnia poteſt impetrare a Deo, & ſupremam in ipſum Deum exercere videtur auctoritatem? Tamen oratio hæc licet efficax, & omnipotens, migrat in abominationem, ſi profecta fuerit a malo principio, ac prava intentione: *Oratio ejus fiat in peccatum,* (*Pſal.* 108.) juxta Prophetæ imprecationem; & quidam Pater jure comparat illam Virgæ Moyſi, quæ modo operabatur prodigia in natura univerſa, modo vertebatur in turpem colubrum, metum horroremque immittentem; idque pro varia magni illius legiſlatoris intentione; vel ſicuti nonnulli animadverterunt, prout ille virgam attollebat, vel demittebat. Ita igitur ſi in oratione veſtra non habetis niſi intentionem in voſmetipſos deflexam; exempli cauſſa comparandæ vobis humanæ gloriæ, vos illam in abominabilem coram Deo hypocriſim convertitis.

Quid Deo jucundius jejunio? Hic actus pœnitentiæ ita ad juſtitiam divinam flectendam aptus, ac idoneus ad ſatisfaciendum pro peccatis noſtris, adeo par animæ elevandæ, ac diſponendo corpori ad omnia ſpiritus officia peragenda. Videte tamen quomodo illud Deus perhorreſcat ubi cum Sancta intentione conjunctum non eſt: *Ecce in die jejunii veſtri reperitur voluntas veſtra.* (*Iſaia* 58.) Eccleſia damnavit errorem Montani, tres quadrageſimas ſtudentis invehere; quia per hoc meritum ſibi conciliare ſatagebat, erroribuſque ſuis auctoritatem promereri, & eadem Eccleſia æternum celebrabit S. Franciſci Aſſiſinatis pietatem, qui quinque prorſus integras quadrageſimas jejunare conſueverat. Undenam, quæſo, hæ adeo ſimiles actiones, altera quidem criminoſa, altera vero actus pœnitentiæ Deo judicatur acceptus? Quid hoc diſcrimen conſtituit? Intentio, Auditores, ſola intentio, quæ virtutes omnes valet corrumpere, & noxias efficere actiones, quæ videntur ſanctiſſimæ.

Quid tandem ſanctius ſacrificio? Hoc primus, & maximus eſt Religionis actus, ſine quo Religio ipſa nequit ſubſiſtere. Si tamen prava cum intentione offeratur, fit in oculis Dei abominabile. Videte quo pacto in Scripturis recipiat Deus imperfectum nefarii Saulis ſacrificium, quod ibi idololatriæ ſceleri comparatur: *Quaſi ſcelus idololatriæ nolle adquieſcere.* (*Reg.* 15.)

Quid demum commendatius in Scripturis Sanctis eleemoſyna per caritatem facta? Hæc expiat peccata noſtra, ab æterna liberat morte, Dei ciet miſericordiam. Videtur Cælum ob hanc unam virtutem factum: verum ſi recta non fuerit intentio; ſi per hanc gloriam adipiſci conaris; hæc ambitio, hæc vanitas ſecreta, quæ illius cauſſa eſt, illam corrumpit, & veneno inficit omne meritum. Heu! quot id genus actiones, quæ in ſe commendabiles ſunt, intentio mala in totidem vitia convertit? Paupertatem, & injurias pati, vitam ſuam periculo objicere, temporis, tempeſtatumque incommoda perferre, & alia id genus ſexcenta loco virtutum patientiæ, zeli, conformitatis voluntati Dei, plerumque non aliud ſunt quam ſuorum commodorum perquiſitio, affectus avaritiæ, aut ambitionis, aliorumque id genus criminum, quæ ex venenato hoc fonte derivant, qui rivulos omnes inficit inde defluentes. Quænam igitur adhibenda cura eſt ad intentionem expiandam? Et quæ ſanctior praxis quam ſcire quodcumque fit, ſanctificare? Eo autem major adhibenda eſt nobis ſedulitas, quia in actiones noſtras nihil facilius obrepit, quam intentio prava. Nullus eſt anguis, qui callidius ſuum virus inſpiret, & per ambages verſutiores. Quibus enim dolis non utitur philautia, quæ ubicumque nobis occurrit, & quæ ſæpe acutiſſimos oculos fallit; ſed quæ fere ſemper eſt ſecretum organum, quo movemur, & pondus dominans, quo trahimur? Quam ſubtile, & vix perceptibile virus eſt inanis gloriæ? Et quis callidior fur, qui rapit, & aufert omnem bonorum operum noſtrorum theſaurum? *Secretum virus, fucus virtutum, tinea ſanctitatis,* (*Serm.* 7.) quo nomine illum appellat S. Petrus Chryſologus; qua calliditate noſtra ipſa cupiditas ſibi Dei locum vindicat, ac tegit ſe zeli nomine in omnibus actionibus noſtris? Hoc efficit, ut ardenter in iis quæ ad Religionem proximumque pertinent feſtinemus, ſicubi ulla ſpes lucri adeſt. Sed ubi hæc deeſt, neque ullus affulget oculis nitor, quo animabamur, nihil nobis eſt ignavius, aut languidius; ita ut ad bonam aliquam actionem aggrediendam, opus eſt, ut olim populus Iſrael faciebat, altera quidem manu ædificans, altera vero vim hoſtium propulſans, vel ſicut Abraham, qui cum offerret Deo ſacrificia, manu altera ejiciebat vultures, qui catervatim irruebant in victimas, quas immolabat altera. Denique dicendum eſt cum Sancto Job: *Verebar omnia opera mea,* (*Job* 9.) & ne de uno quidem operum meorum confidere audebam. Quid enim mihi prodeſt, Deus, ore tenus dicere, me illa facere propter te, cum re ipſa amor mei ipſius, & mea cupiditas me ad agendum impellat? Heu! quomodo hodierna die damnantur illa, quæ aliquando probabuntur; & quomodo aliqua hodie probantur, quæ aliquando reprobabuntur? Idque propter ſolum intentionis diſcrimen, quod latet, & cujus cognitio, ac judicium unice ſpectat ad Deum. Jure igitur iterum dicere poſſum, nullam ſanctiorem eſſe praxim, neque medicum magis neceſſarium ad actiones noſtras ſanctificandas, quam bonam intentionem; quoniam ſine hac bonæ haberi non poſſunt, & quæ meliores videntur, vera ſcelera evadunt.

Accedit tertio, intentionem licet ſolam placere Deo magis, quam actionem ipſam; & illi ſatisfacere plerumque bonam voluntatem, quæ locum tenet rerum omnium, quas facere cuperemus propter amorem illius ſecundum S. Auguſtini doctrinam: *Deus coronat bonam voluntatem, quando non invenit facultatem.* Si enim intentio prava criminis committendi a Deo punitur eadem pœna qua crimen ipſum; fortiori jure ſola bona intentio, & voluntas bona, ut dicitur, reputatur pro facto; quia ut merito juſtitia tribuatur, ſolam intentionem reſpicit Deus, eo uſque ut pluris faciat actiones abjectiores, & humiliores, quam majores, & nobiliores, cum priores illæ factæ fuerint intentione defœcatiori, & propter cauſſas præſtantiores, eodem ferme pacto, quo videmus non deeſſe quamdam dexteritatem efferendi quodam verborum ambitu, efficiendique ut minora majoribus paria videantur, & ars ſæpe materiam exornat, quam pertractandam aggreditur, & opus reddit pretioſum, & exquiſitum. Hoc facit intentio in virtutibus noſtris; & mundi Salvator hoc nos docere dignatus eſt in Evangelio facto non vulgari, quod efficit, ut digito magni hanc momenti veritatem attingamus. Scribæ & Phariſæi ingrediebantur in Templum Jeruſalem cum faſtu, & ſuperbia; magna cum majeſtate incedebant, prædicantes largitates ſuas, & magnificentiam ſonitu aureorum nummorum, quos in gazophilacium immittebant: cum pauper acceſſit vidua, quæ multo labore per populi multitudinem via ſibi facta poſt alios accedit, ac deinde pudore ſuffuſa receſſit, eo quod duos tantum denarios attulerat. Cum illic adeſſet una cum Apoſtolis ſuis Dei Filius, eminus obſervans, vel ut melius dicam, perpendens eleemoſynas juxta verum earum pretium in trutina judiciorum ſuorum, quæ ſciunt omnia ſecundum æquiſſimum valorem æſtimare; cumque mulierculam hanc fuiſſet intuitus, in qua nemo alius dignatus fuerat oculos conjicere, illam digito oſtendit, & elata voce dixit: Hæc mulier, quæ nihil fere contulit, plus donavit, quam ceteri: nam manu utraque cor ſuum deferebat: *Amen dico vobis, quia vidua hæc pauper plus omnibus dedit.* (*Luc.* 21.) Alii partem contulerunt eorum, quæ ſuis voluptatibus ſuperfuerunt; hæc partem contulit ejus, quod erat neceſſarium egeſtatibus ſuis, & dimidium victus unius diei: & quantum illa contuliſſet, ſi facultas ejus major extitiſſet votis ipſius, tantumdem Deus, qui videbat penitiores cordis ipſius latebras, ex eo temporis momento acceptum habuit manus illius, & mox remuneratus eſt; nam coram illo liberalitas ex affectu æſtimatur, qui cuicumque rei pretium tribuit, quod meretur. Quapropter Rex Propheta dixit: *Retribuet mihi Dominus ſecundum puritatem manuum mearum in conſpectu oculorum ejus.* (*Pſ.* 71.) Non dicit Deum illi remuneraturum ſecundum multitudinem eleemoſynarum, quas erogaverit, neque ſecundum magnitudinem benefactorum illius; ſed ſecundum puritatem intentionis ipſius, & finem, quem hæc faciens ſibi propoſuerit: *Secundum puritatem manuum mearum in conſpectu oculorum ejus.* Quo igitur in pretio nobis habendum eſt hoc medium, quod ſine labore, ſine novis ſumptibus, ſine operibus admodum arduis, ac inauditis exæquare poſſumus meritum maximorum, celeberrimorumque factorum? Quæ ſi vera ſunt, ut nefas ambigere; ſequitur, praxim hanc, quantum ſancta eſt, & quantum neceſſaria ad bene agendum hæc eſt conditio, tantum meritis eſſe uberem, & copioſam.

Ad id intelligendum, Auditores, ſciendum eſt, quamvis bonarum actionum merita generatim deſumantur a gratia habituali, vel ſanctificante, quæ illas dignas efficit beata æternitate, mox gratia actuali, quæ nos prævenit, ac tandem virtutis habitibus, unde proficiſcuntur actiones iſtæ, & quæ ſunt veluti facultates eaſdem gignentes; hoc meritum nihilominus ſingillatim æſtimatur ex præſtantia cauſſæ, & intentionis agentis, qui ſemper præſupponitur in gratiæ ſtatu verſari; ſed qui meretur augumentum hujus gratiæ, cui data ratione elatior gloriæ gradus reſpondet. Secundo ſciendum eſt, actiones, quas facimus, omnes ad tria genera referri; vel enim bonæ ſunt per ſe, veluti oratio, eleemoſyna, jejunium, omneſque virtutum actus; vel ſunt malæ, cujuſmodi ea ſunt, quæ divinis humaniſque legibus prohibentur; vel neutræ quæ nullum habent finem, vel quarum finis, ſi fieri II. PARS.
poteſt,

poteſt, nullo in diſcrimine habetur. Hoc poſito, ajo nullum eſſe exercitium, a quo nequeamus fructum percipere majorem, quam ab hoc ſancto habitu habendi in omnibus rectam, puramque intentionem; & hanc viam eſſe ad plurimas brevi tempore divitias comparandas; quod omnes homines quærunt in terrenis, & quod omnes fere in cæleſtibus negligunt. Hoc autem vobis tradere conabor.

Facili negotio intelligetis veritatem hujus rei, quam propoſui vobis, ſi mecum inſpexeritis tres effectus admirabiles bonæ intentionis. Primum efficere poteſt bonum ex eo, quod tale non eſt. 2. Ex bono exiguo magnum; & quæcumque tandem ſit actio, eam meliorem facere poteſt, addendo noviſſima perfectionis lineamenta. Bonum facit, quod bonum non eſt: quia illa, quæ nullo ſunt in diſcrimine pro æternitate numerantur, cum ea aliqua juſta cauſſa commendamus, ita ut, negotia, viſitationes, colloquia, domeſticæ curæ, quies, ſomnus, & alia, ea etiam inquam quæ neutra ſunt, totidem ſint coronæ, quas adquirimus; quia cum hujuſmodi actiones bonum finem admittere valeant, hunc recta addit intentio: ita licet ſomnum, cibumque capere ad reficiendas vires, ut melius propter Deum operari valeamus. Itaque intentio præter propter ſimilis eſt iis molibus, quæ de terra attollunt graviſſimos lapides, & immania pondera ſine labore, & ſine difficultate; hæc eſt ſimilis fabuloſæ virgulæ, quidquid attingebat in aurum vertenti, hoc eſt quodammodo imitari Dei ipſius poteſtatem, quæ ex nihilo magnum aliquid facit. Ita enim de re nullius momenti, vel pretii, facere poſſumus aliquid tam magnum, ac pretioſum, ut terræ totius poſſeſſio, omniaque bona, quæ in ea reperiuntur, illius valorem exæquare non valeant, idque per ſolam intentionem, referendo, ut Deus, omnia ad gloriam ſuam, & de nobis dici poterit, quod Scriptura de illo teſtatur: *Vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt.* (*Ad Rom.* 4.) Utemur iis, quæ non ſunt, perinde ac eſſent; at quomodo iſtud? faciemus, ut ad æternitatem promerendam valeat, quod præterit brevi; ex eo quod nihil eſt, vel quod prodeſſe non poſſet, faciemus aliquid, idque ſupra naturam univerſam attollemus; & ea, quæ minime nitent, longe pretioſiora efficiemus. Hinc ſequitur, nos poſſe, ubi voluerimus, ne minimam quidem momenti alicujus vitæ noſtræ jacturam pati, & facere, ut omnes dies pleni ſint, ut Scriptura loquitur; nulla enim eſt actio tam parva, cujuſcumque naturæ illa ſit, ne verbum quidem, cogitatio, intuitus, quæ non augeat hunc meritorum noſtrorum theſaurum, ſi has omnes actiones retulerimus ad bonum finem, quod Apoſtolus his verbis docet: *Sive manducatis, ſive aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* (1. *ad Cor.*) Quidquid facimus quamtumvis humile ſit, & abjectum, nihil amiſſum eſt, cum ſit ad Dei gloriam, vel cum refertur ad Deum ſive per ſe, ſive per unionem, quam habet cum alia aliqua re, quæ magis immediate tendit in illum. Quæ autem divitiæ hoc pacto cumulari non poſſunt? Ita augentes, & multiplicantes in ſingula momenta merita noſtra, in ſingula opera quæ facimus, quin aliquid elabatur nobis, vel pereat, quam inde utilitatem haurire non poſſumus? Quam virtutum congeriem, quod gloriæ pondus, quas in Cælo coronas poſtquam aliquot exceſſerint anni?

Quod ſi bona intentio facit omnia ex nihilo, & bonum, ex eo, quod non eſt, quid tandem faciet ex eo, quod bonum eſt? Re ipſa, Auditores, cum ſit bonum exiguum, magnum facit, & quod magnum incomparabili modo efficit excellentius, novum illi ſemper gradum perfectionis adjiciens. Non dico ſolum illam efficere ut actio parvula Deo accepta ſit æque, ac major; ſed revera attollere, & commendare actionem quamlibet in natura conſideratam, efficiens, ut objecti ſui cancellos prætergrediatur, eamque evehens ad ordinem, claſſemque virtutis, ad quam per ſe nunquam perveniret. Exempli gratia, ſi pauperi ſtipem erogo propter finem eleemoſynæ proprium, actionem facio miſericordiæ ad quam refertur eleemoſyna, & actio meretur præmium coram Deo; ſed ſi fiat propter finem ſublimiorem, erogando illam, ut placeas Deo, & propter amorem illius, altera hæc intentio priorem non deſtruit, ſed illam attollit ad finem ſublimiorem; videlicet ad perfectam caritatem, quæ majoris eſt meriti; quia prima virtus, quæ inter morales adnumeratur, facta propria ælterius, quæ eſt Theologia, & quæ immediate ſpectat ad Deum, recipit incrementum, & perfectionem duplo majorem, quæ explicari non poteſt.

Hæc, auditores, eſt via illa adeo recta, & nihilominus adeo parum frequens, per quam Deus Sanctos deducit, juxta illud Sapientiæ verbum: *Juſtum deduxit Dominus per vias rectas.* Per hanc citato gradu procedunt, & adeo præclaros in virtute progreſſus efficiunt. Hi ſæpe non faciunt, niſi quod faciunt alii meriti non adeo eximii: ſed magnum intercedit diſcrimen in eo modo quo faciunt. Paſſim communem ducunt vitam coram hominibus, qui vulgo de actionum meritis iniquum ferunt judicium; ſed in oculis Dei hæc via eſt admirabilis: *Deduxit illos in via mirabili.* Quid enim quæſo fecerunt tot Sancti, qui vitam adeo perfectam duxerunt, quorum nitor in Clauſtris delituit? Fortaſſe nil plus fecerunt, quam alii ejuſdem profeſſionis viri, & ſæpe non aliud invenietur meritorum diſcrimen, niſi quod illi actiones ſuas commendabant finibus nobilioribus, quod ex rebus minoribus magnas virtutes faciebant, & nullum elabi ſinebant momentum, quin aliquid recens proficerent.

Secundo loco praxis hæc magis frugifera ſit, quia non ſolum ſe extendit ad omnes actiones noſtras, has bonas, alias meliores efficiens; verum etiam facit, ut una poſſit ſemper creſcere meritis, ac pretio in infinitum per multiplicationem finium variorum, & bonarum intentionum, quæ illis tribuunt totidem diverſos gradus perfectionis, & bonitatis. Non ſecus ac ſi quis modum inveniret non ſolum lucrandi qualibet die aureorum copiam numero carentem, verum etiam efficiendi, ut quilibet nummus pretio creſcat, quantum ille velit, & unus tantum decem millibus valeat. Vel etiam quomodo inventa fuit ars varia fructuum genera in eodem arbuſto inſerendi, quod ex ſe jam optimos ferebat, vel tandem ſicut aurea locupletiſſima veſtis aut pingi poteſt, ac diſtingui lapillis pretioſis, qui veſtem ipſam non deſtruunt, ſed nitidiorem efficiunt; ita congeries, & conjunctio horum finium conflat admirabile ornamentum, ut in una tantum virtute aliæ omnes exerceri poſſint, & ipſa omnibus aliarum meritis decorari. Quænam vero ars aptior ad brevi diteſcendum inveniri poteſt, & quænam praxis hac uberior? Hoc pacto evadimus æque beati, ac operarii illi Evangelici, qui cum una tantum hora fuiſſent operati, eamdem mercedem conſecuti ſunt ac illi, qui pondus diei, & æſtus pertulerunt. Minus fecerant, ſed fortaſſe una tantum actione fuerant promeriti, ac alii plures, & etiam fortaſſe majori labore.

Si hæc vera ſunt, ut de illis non liceat ambigere, heu! Quot, quantorumque theſaurorum in ſingula momenta jacturam patimur! Quot merita nobis effugiunt! Quot occaſiones magnos evadendi coram Deo quotidie negligimus! Errorem hac de re hodierna die abjiciamus. Non ſemper majores, ac nitidiores actiones ut vulgo creditur, illuſtriores Sanctos efficiunt; nam tales evadere poſſumus, per eas quæ magis vulgatæ ſunt, & magis familiares, dummodo extollantur præſtantioribus intentionibus, & finibus, qui ſint defæcatiores. Proh Deus quot mirabilia videbimus magna illa die, qua omnia revelabuntur! Quot inſignes fortunæ, quibus nos Deus deſtinabat, dirutas, & everſas eo quod non præcaverimus ſexcenta minima, quæ nullo in diſcrimine videbantur habenda, ſed quæ promerita fuiſſent gloriæ pondus in Cælo ſi illam ſancta intentione communiſſemus! Non loquor autem hic ſolum de cupidis finibus, & intentionibus improbis, quæ in pleriſque hominibus reperiuntur; ſed de actionibus, quas propter intentionis defectum amiſimus. Quot enim factæ ſunt ex animi libidine, quot ex conſuetudine, quot ex incuria? Quot mortales, qui ne animum quidem advertunt ad ea, quæ faciunt; qui nullum ſibi proponunt finem, vel qui fortuito agunt, quidquid operantur? Hæc autem omnia perierunt, eo quod facta non ſunt, ut erant facienda; adnitendo, ut omnia ponerentur in lucro per adeo ſanctæ exercitationis conſuetudinem.

Sed ne quid, Auditores, earum vobis fructum eripiat, ut ſæpe accidit, quod licet re adhuc integra optimam habentibus intentionem in actionis curſu obrepant aleæ, quæ illius finem, & progreſſum corrumpant, tertio loco dico, ſicuti bona intentio facit, ut magnos meritorum theſauros adquiramus, non alia fortaſſe via eſt eorumdem tuendorum, quam eamdem frequentius iterare. Profecto ſæpe numero optima cum intentione incipimus; ſed in æſtu cogitationum, actionum, deſideriorum, difficile eſt, ut prima illa intentio vim, virtutemque ſuam tueatur, vel ne aliæ minus rectæ, minuſque puræ ſe immiſceant, & per improbam impreſſionem corrumpant, quod inceperamus egregie. Quam ob rem maxime refert ſæpe has eaſdem intentiones inſtaurare, ut videmus extructores ædium ſæpe ad normam confugere, viſuri utrum lapides illi reſpondeant: ita Chriſtianus agens propter Deum, & gloriam ipſius, vel propter aliquem ſanctum finem non ſemel debet actiones ſuas ad hanc normam erigere; ſed ne recedat a ſcopo, ſæpe debet attendere utrum omnia ad illum colliment; idque iterando fines eoſdem, quæ ſunt veluti organa, quæ laxata erant, & quæ iterum aptantur, ut in eodem motu perſeverent.

Sed, inquies, quantus labor eſt, quæ crux ſemper hanc ſervare regulam, & methodum, & habere ſemper mentem intentam, ac vacantem iis, quæ facimus? Profecto Auditores licet vera eſſent quæ dicitis, cuinam moleſtus videretur labor, ex quo tantam mercedem reciperet? Verum ſi quin omnia ita exaggeremus, & ſine tanta ſpiritus contentione, quæ nobis crucem figat, facile eſt frui omni illa utilitate, quam ſancta hæc praxis affert, non ne inexcuſabiles ſumus, ſi munus hoc maxime ſerium vitæ noſtræ negotium eſſe debere non ducimus? En igitur quid hac de re peculiariter Doctores tradant, quorum alii dicunt, ſicuti nullus eſt Chriſtianus, qui mane, & veſpere, ſub initium, ac exitum diei non debeat Creatori ſuo reddere vota, & offerre illi tributum orationum ſuarum, tunc ſatis eſſe poſſe, ſi offerat illi actiones omnes diei illius generali intentione, quæ influat in omnia, quæ die illo facturi ſumus. Hoc non niſi optimum factu eſt: ſed hoc ſatis eſſe non liquet. Et ſane difficile eſt, eamdem voluntatem ſemper ſubſiſtere in jugi diſſipatione, ac tot inter peculiares intentiones, quæ ſubinde obrepant. Ceterum quomodonam hic primus finis, qui eſt quædam veluti moralis forma, animare poterit tot actiones adeo varias, cujuſmodi ſunt oratio, & jejunium, communio, & convivium?

Sal-

Saltem, plerique Doctores inquiunt; ſingulæ actiones diſtinguendæ ſunt, ubi offeruntur Deo; & omnes recenſendæ; & dummodo prima hæc intentio non retractetur ab altera, quæ mala ſit, omnes meritum, & bonitatem recipient. Equidem credo, Auditores, hunc nobis canonem ſequendum eſſe: ſed in accurato viro, qui ſollicitus eſt, ut omnes ſuas actiones in quæſtu ponat ad æternitatem adipiſcendam, optarem præterea, ut in ſingulas actiones graviores, & durioris durationis, inſtauraret intentionem ſuam, pro ceteris vero, quæ diverſi generis ſunt, vel quæ non alium nexum habent, niſi fortuitum, conaretur illa conjungere eodem conſilio identidem repetito. Hæc animadverſio efficit, ut repleatur quod vacuum eſt, ut regatur, quod inconditum, ut rectificetur, quod male inchoatum eſt, & cum ſpiritus aberraverit, ſecunda hæc cogitatio illum ab errore ſuo revocat, & in ordinem cogit. Ceterum habitus facilem reddere poteſt hanc praxim, & efficere, ut omnis abſit ab hac regularitate moleſtia. En paucis, Auditores, artem omnem hujus praxeos, quæ adeo ſimul neceſſaria eſt, & frugifera.

Ut igitur huic Sermoni finem faciam, penes quem ſitum eſt, Auditores, vos Sanctos eſſe, atque perfectos? Quandoquidem nihil a vobis petitur, niſi ut eadem faciatis, quæ facitis; ſed ut ea bene faciatis. *Juſte, quod juſtum eſt perſequeris*; (*Deut.* 16.) ut loquitur Scriptura; quia bonitas, & ſanctitas actionum noſtrarum, non deſumitur ex earum magnitudine, & fulgore, ſed a fine, atque intentione, quæ earum conſtituit pretium, & meritum coram Deo, & peccato excepto, quod ſanctiſſima, & diviniſſima intentio excuſare non poteſt, actiones omnes eſſe poſſunt totidem actus virtutis. Sed heu! quam intentionem habent plerique hominum in actionibus ſuis? Quot videntur, qui multis exercentur laboribus, & qui ne minimam quidem habituri ſunt mercedem in Cælo? Quot omnes curas ſuas devovent idolo honoris, & vanitatis, ut olim Evangelici Phariſæi? *Omnia opera ſua faciunt, ut videantur ab hominibus:* (*Matth.* 23.) Quot varias obeunt regiones, & maria, ut congerant opes? Et omnia hæc perierunt; quia nequaquam facta ſunt pro Deo, & cum ſancta intentione. Si pœnæ tantum, & labores facerent Sanctos, & Mors, atque tormenta Martyres efficerent, S. Auguſtinus ait, mundus totus martyribus plenus eſſet. Aulici mille numerarent operas ſuas, infortunia, moleſtias, ægritudines male impenſas. Mille milites ſua vulnera oſtentarent; mille opifices ſuas vigilias, laboreſque producerent: ſed propter quem, & ob quem finem hæc omnia pertulerunt? Quam cauſſam vel intentionem habuerunt? Heu! Magnus hic Doctor reſpondet: *Martyrem non facit pœna, ſed cauſſa.* (*Auguſt. in Pſ.* 42.) Metuendum eſt, ne dicatur aliquando de nobis, quod Scriptura inquit de Jechonia Rege: *Scribe virum iſtum ſterilem.* In hoc libro, in quo deſcriptæ ſunt omnes hominum actiones, ſcribe, Jechoniam hominem eſſe ſterilem. Verum quanam de ſterilitate vobis hic verba fieri videntur? non de naturali quidem, quandoquidem ille filios habuit Regni ſui ſucceſſores, & liquet, quænam fuerit poſteritas ejus; ſed de bonorum operum ſterilitate hic ſermo eſt. Homo eſt qui nihil fecit pro Deo, nihil pro ſalute ſua nihil pro æternitate, *Scribe virum iſtum ſterilem.* (*Jer.* 2.) At enim plurimas opes congeſſi: domum meam bonis cumulavi: de re publica optime ſum meritus: hoc non diffiteor, & fortaſſe extant monumenta. Sed propter Deum quid feciſti? Quam habuiſti in omnibus actionibus tuis intentionem? *Scribe virum iſtum ſterilem*, Spero, Auditores, vos ex hoc numero nequaquam futuros, & poſtquam omnes actiones veſtras ſanctificaveritis recta, ſanctaque intentione, vos mercedem eſſe ampliſſimam in æternitate conſecuturos, quam vobis ex corde concupiſco.

SERMO OCTAVUS.

De Fervore in Dei Cultu.

Ratio tuta quam primum ſe ſanctū perfectumque efficiendi.

INter præcipua bona, quæ Aſceticæ vitæ Magiſtri nobis tradiderunt, ut nos impellerent ad Deum cum fervore colendum, tria potiſſimum animadverti, quæ reddere poſſunt hominem aptum ad heroica facta, & opera præclara ingredienda. Primum eſt, quod faciles efficit graviores, ac difficiliores virtutis, chriſtianæque vitæ exercitationes, & leve facit jugum, quod alios ſuperat, ac frangit, qui nonniſi ægerrime adeo gravem ſarcinam gerunt. Alterum eſt, quod ratio eſt citato gradu progrediendi, & admirabiles progreſſus inferendi brevi intervallo in perfectione, ad quam quilibet Fidelis debet contendere; Tertium vero hoc illud eſt, propter quod omnia facienda ſuſcipimus ad Domini gloriam, qui præcipuus eſt finis, propter quem omnis Chriſtianus agere debet. Tria hæc in triplici Sermonis hujus parte vobis aggredior oſtendenda.

Dixi re adhuc integra primum bonum, ac primum fervoris effectum eſſe mulcere pœnas omnes, quæ divino cultui inhærere videntur, ac ſternere viam Cæli, quæ adeo aſpera, atque difficilis repræſentatur; & profecto licet unicum hoc inde ſuppeteret bonum, nihil non audendum eſſet ad illud adquirendum, atque ſervandum: quandoquidem dubitandum non eſt nos vulgo a virtutis praxi deterreri difficultate indicendi jugiter bellum noſtris cupiditatibus, noſmet abnegandi, & Crucem ferendi. Hoc durum quidem eſt, neque diffitemur; & ſi Sanctus Auguſtinus aſſerit veri Chriſtiani vitam ſecundum leges Evangelii viventis eſſe juge martyrium: *Tota vita Chriſtiani ſi ſecundum Evangelium vivat, crux eſt, & martyrium:* ne vereamur hoc potiori jure affirmare de vita veri Chriſtiani, qui præceptis addit conſilia, ſaltem pluribus in occaſionibus, & praxin devotionis, quæ torquet hanc libertatem, quæ adeo cara nobis eſt, & propter quam ſtatus Chriſtiani vulgo vita crucis, & mortificationis vocatur. Tanta difficultas, ut alii quidem hoc ſuſtinere jugum auſi non ſunt, alii illud excutiunt, ac inter eos, qui illud amplexi ſunt, quotuſquiſque eſt, qui eadem illud geſtet alacritate, & fortitudine, qua illud ſubiit. Si igitur aliqua inveniretur ars ad jugum hoc ex parte altera mulcendum, qui ex altera quidquam remitteretur, ex officiis, atque muneribus ſtatus ſui, non inveniretur ars artium omnium maxime admirabilis, atque utiliſſima? Hæc autem ars fervor eſt, qui unus virtuti poteſt auferre quidquid illi ineſt acerbitatis, ac moleſtiæ, & ſuave, ac facile efficere quod in Chriſtiani vita auſterum eſt, & corruptæ naturæ contrarium. Ratio ex eodem S. Auguſtino deſumitur, aſſerente, ibi, ubi amor, & caritas eſt, nihil eſſe difficultatis, & laboris; vel ſi eſt, hanc ipſam difficultatem, & laborem amabilem fieri: *Ubi amor eſt, aut non laboratur, aut labor ipſe amatur.* Ipſa etiam experientia Sancti hujus ſententiam confirmat; quandoquidem in rebus omnibus, quas ardenter concupiſcimus, videmus ipſam cupiditatem efficere, ut difficultates omnes ſuperemus, omneſque labores contemnamus. Exempli gratia quid quæſo durius, vel laborioſius bello? Vetus quidam militiam *laboris diſciplinam* vocabat: & nihilominus qui valido urgentur deſiderio ibi gloriam ſibi comparandi, illic quaſdam inveniunt illecebras, quæ efficiunt, ut meliorem vitæ ſuæ partem inter pericula, laboreſque traducant, ſexcenta illic ſuſtinentes incommoda; videntur quinimmo alacriter ad ignem curſitare, ad oppugnanda urbium propugnacula ferri per ſtridentes plumbeorum, igneorumque globorum procellas, & vitam ſuam in murorum hiatu, aliiſque periculis objectare. Heu! quid cauſſæ eſt, propter quam adeo libenter tot labores ſuſtineant, atque tot pericula contemnant? Gloria, quam inquirunt, illos agit, & flagrant cupiditate nominis ſibi hac via comparandi, & violentum hoc deſiderium omnes mulcet labores illorum. Adeo verum eſt, quod idem Sanctus addit, ardentem amorem, quo objectum aliquod proſequimur, non pati, ut in ea re aliqua difficultas ineſſe dicatur: *Amor ipſum difficultatis nomen erubeſcit.* Sed ubi fervor eſt, ibi proculdubio eſt amor Dei, & caritas, quod in dubium non revocabitis, nam proprie loquendo, fervor non aliud eſt, quam ardor ipſius caritatis; acutiſſimus ejuſdem ſpiritus, *vis omnis, & ſpiritus*, quemadmodum a quodam Sancto Patre vocatur; ſine quo languet, ſine vi, ſine motu, ſine actione, & neſcitur, utrum vivat, an prorſus extincta ſit. Verum igitur eſt aſſerere quo plus fervoris in virtutis praxi acceſſerit, minus ibi moleſtiæ laboriſque futurum; ideo hæc unctio eſt illa, de qua loquitur Propheta, quæ non ſolum lenire poteſt hoc jugum, ſed etiam efficere, ut computreſcat, ut ille ait, vel ſi mavis, ut liqueſcat ardore caritatis, ac fiat toto cælo ſuavius, & ferendo facilius: *Computreſcet jugum a facie olei.* (*Iſaia* 10.) Hinc illis, qui mirabantur videntes rigorem, atque auſteritatem, quam tot amplectuntur cœnobitæ tanta cum fortitudine, & perſeverantia, Sanctus Bernardus reſpondit, *Crucem vident, unctionem non vident.* Qui hæc mirantur, ait ille, nonniſi ex extima ſpecie judicium ferunt. Vident crucem, quam bajulamus, ſed minime vident unctionem gratiæ, & hanc impreſſionem divini Spiritus, quæ efficit ut nobis ſuavis, & jucunda videatur. Hinc facili negotio, Auditores, ſimul conciliare poſſumus locutiones duas, quibus utitur mundi Salvator in Evangelio, quæ primo quidem intuitu ſibimet adverſari videntur: modo enim dicit jugum ſuum eſſe leve: *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*; modo vero Cæli viam arctam, & incommodam vocat, & vim ſibi faciendam eſſe homini ut ſaluti ſuæ conſulat. Quod idem eſt ac aſſerere, jugum Dei ſuave ſimul eſſe, ac durum, vel viam hanc ſimul facilem, ac difficilem eſſe. Quid igitur? Dei Filius qui ipſa Veritas eſt, duo poſſet ſimul affirmare, quæ apertiſſime ſibi adverſari videntur? non proculdubio, ſed aliter loquitur ſecundum aliud ſitum humani cordis, & hominum geſtantium jugum hoc, & viam hanc ſequentium. Jugum hoc ſuave eſt, ac leve ferventibus, grave, & oneroſum ignavis, qui in languido tepore marceſcunt, hæc via facilis eſt cum fervore ambulantibus in Dei ſervitio; quoniam in eo currunt, & nihil eos valet remorari, ut inquit Propheta: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.* (*Pſ.* 118.) Sed aliorum habita ratione, via dura eſt, & arcta, ſpinis conſita, prærupta, in qua nemo progreditur, niſi quatenus vi ſibi viam facit: *Quam arcta, atque anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam!* (*Matth.* 20.) Jugum hoc iterum dicam, infiniti ponderis eſt tepidam vitam agentibus; hi omnia faſtidiunt, omnia illis videntur aſpera, & minima quæque illis onus, & non ferenda videntur ſarcina, veluti Evangelicis operariis: *Portavimus pondus diei, & æſtus*, Suſtinuimus pondus diurni laboris, atque calo-

ris

ris & omnia vitæ hujus incommoda; nonne æquum eſt, ut aliquam carpamus requiem, ac tot operibus feſſi paullisper reficiamur? Hic ſermo eſt animæ in Dei cultu languentis, aperientis ſtatum, & ſenſus cordis ſui per querimonias, & murmura, modo queſtæ de modica ratione, quæ habetur ſui, modo de ſui laboris contemptu. Laborum prolixitas eam afficit tædio; quidquid illi diſplicet; videtur ipſi pondus, quo quamprimum eſt obruenda, Regulæ, præcepta, conſilia; omnia illi crucem figunt non ferendam. Tandem excutiat opus eſt hoc pondus, hac ſe liberet cruce, ut in quadam libertate vitam ducat; *Portavimus pondus diei, atque æſtus.* E contra fervor hoc onus aufert, alas caritatis nobis impertit, ut avolemus eo, quo alii vix alternis gradibus incedere poſſunt. Ideo S. Bernardus, qui tamquam Magiſter loqui poteſt cum adeo prolixa experientia id didicerit, animum advertens ad illa Salvatoris verba: *Tollite jugum meum ſuper vos, & invenietis requiem animabus veſtris,* (*Matth.*21) admirabiliter inquit, *Mira novitas! tollens jugum, invenit requiem.* Quæ novitas quæ illicia, quod præſtigium? Anima fervens in Dei cultu quam ſuaviter fallitur? Jugum accipere, quieſcere eſt? & ſarcinam geſtare eſt refici? Hæc præſtigii ſpecies eſt, quæ feliciter nos illudit, exclamat ille cum Propheta: *Seduxiſti me Domine, & ſeductus ſum.* (*Jer.*10.) Quomodo illud! quia extrinſeca virtutis ſpecies horrens videtur; ibi non accidit ſermo niſi de Cruce, nonniſi auſteritas videtur, non audiuntur niſi nomina, quæ mundum univerſum exaſperant, jugum, mortificatio, abnegatio ſui ipſius; ſed intus nihil invenitur niſi gaudium, ſuavitas, & voluptas; *Seduxiſti me Domine, & ſeductus ſum.* Sed, Sancte vir, cave ne temetipſum fallas. Quandoquidem tot videmus, qui ſub hoc pondere gemunt, & qui jugum hoc trahunt potius quam ferant; ſed cauſſam adde; non enim deferunt illud cum fervore. Sed quid facit hic fervor? Partitur hoc jugum, & onus, & facit, ut minorem illius partem feratis; ut ſi deſiderium vos tenet ſciendi quomodo fieri poſſit, ut Dei ſervitus jugum appellari poſſit, S. Chryſoſtomus inquit, ita vocatur, quia duo ſunt, qui geſtant illud, ut patet ex rei definitione. Itaque ſi illi noſmet ex corde ſubjicimus, ſi cum amore illud ferimus, ſi cum fervore illud amplectimur; Dei Filius ipſe majorem illius bajulat partem per unctionem, quam ſuper infundit, & per auxilium, quod nobis præbet, unde jugi nomen factum; *Jugum meum ſuave eſt.* Sed ſi iniquo animo hoc jugum ſubitur, ſi per ignaviam trahitur, jugum hoc non eſt amplius Dei, ſed noſtrum; nos ſolos deſerit ut illud geramus; neque mirum eſt, ſi nobis adeo grave videtur. Sed alia ne afferenda ſunt argumenta, cum noſtra adſit experientia; nam fervor hic, qui nos re adhuc integra animabat, cum noſmet Dei addiximus ſervituti, nonne omnia nobis facilia præbebat? Oportebat ut modus tunc temporis nobis conſtitueretur ne ad periculoſos exceſſus raperemur, nihilque nobis erat moleſtum, vel quod nos deterreret? Heu! quidnam gignerat ſenſus adeo generoſos? Quid nobis ſuadebat, ut tanta fortitudine amplecteremur quidquid in Chriſtiana Religione laboris eſt, atque auſteritatis? Fervor erat, quo fiebat ne quid ardori votorum noſtrorum nimis durum, & arduum videretur. Quod ſi uſuvenit, ut hic ardor aliquoties tepeſceret, nonne verum eſt, tunc primum incepiſſe nos ſentire pondus hujus jugi, & laborem, ac difficultatem creviſſe, prout fervor deferveſcebat? Hinc ſequitur ad hoc ut ſine labore ambulemus in via hac adeo arcta, jugum hoc nobis eſſe cum alacritate ferendum. Omni niſu fovendus, alenduſque nobis eſt hic fervor; vel ſi extinctus fuerit, iterum inflammandus eſt, & ſequendum illud conſilium, quod S. Paulus primis Chriſtianis intepeſcere incipientibus ſuggerebat; *rememoramini priſtinos dies.* (*Hebr.*10) Hic primus eſt fructus fervoris, in quo non immorabor amplius gradum facturus ad alterum.

II. PARS. Videlicet ut non ſolum facilem nobis perfectionis viam efficiamus, ſed etiam breviorem, ita ut intra paucos dies emetiamur viam, quam pluribus annis non fuerimus emenſi: *Hi noviſſimi una hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti.* (*Matth.*10.) Et profecto hæc populi Theologia eſt illam ſemper longiorem eſſe vitam, in qua actionum multitudo efficit majorem ſanctitatem, & inſignius meritum coram Deo, ſed omnium SS. æque ac DD. ſententia eſt unum dumtaxat virtutis actum cum fervore factum plus valere ſexcentis languentibus, ubi voluntas nonniſi minorem virium ſuarum ſuæque activitatis adhibet partem. Ratio eſt, quod meritum actionum noſtrarum potiſſimum a caritate deſumitur, non habituali ſolum, cum aliquis eſt in gratia, verum etiam actuali, quæ non aliud eſt, niſi fervor, qui nos urget, & impellit, ut S. Paulus inquit: *Caritas urget nos.* Ideoque quod fit cum majori caritatis fervore, ſi cetera ſunt æqualia, fit cum majori merito, ac perfectione: quamobrem S. Auguſtinus dixit: *Offert ſe nobis de compendio Deus*; Nobis opus non eſſe tanto tempore ad Deum inveniendum, ubi quæratur, uti quærendus eſt, neque curſu adeo longo, ut perveniamus ad Sanctitatem, quoniam ille citius ad eum pervenit, qui celerius, & ferventius currit: quomodo complures Sancti, quibus prolixius non conceſſum fuit temporis ſpatium, ut ſeſe ſanctificarent, & tamen longum ſtadium decurrerunt; illi vix una tantum hora laboraverunt, & meriti ſunt mercedem eorum, qui diluculo laborare inceperunt: *Hi una hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti.* Quia in aliorum opere diurno, plurimum vacui interceſſerat, ac multum temporis perierat; & horum hora plena fuit, & integra; his applicari poteſt verbum illud Sapientiæ: *Conſummatus in brevi explevit tempora multa.* Eorum fervor modico intervallo hoc fecit, quod alii facere non potuerunt diutiore: quia horum dies vacui fuerunt ſecundum ſermonem Spi. Sancti: *Dies vacui invenientur in eis*; ſi enim numerati fuiſſent anni ſervitutis eorum, ac illinc dempti, quidquid temporis propter eorum vecordiam, atque negligentiam periit, fortaſſe illis exprobrari poſſet cum eodem Sancto, eos eſſe pueros annorum ſexaginta vel quinquaginta, vel quod eſt idem, ſenes unius, vel duorum annorum; ſed ratio æquiſſimi hujus probri propulſandi eſt, obſequi monito S. Pauli, jubentis nos tempus redimere; *Redimentes tempus.* Sed quomodo redimi poteſt, cum ſit irreparabile: & alioquin tempus, quo utimur ad hoc tempus redimendum, & ipſum comprehenſum eſt in menſura, quæ eſt nobis conceſſa? Nam quod nobis faciendum eſt hoc tempore, non interim fiet, vel alio adhuc tempore opus eſſet, ut hoc redimeretur. Hac de cauſſa verſio alia habet: *Conſtringentes tempus,* prementes, facientes temporis penetrationem: hodierna dies cum heſterna confundenda eſt ad illam reparandam, quod fieri nequaquam poſſe videtur. Tamen quandoquidem id ſuadet Apoſtolus, dicendum eſt hoc aliquo modo, quicumque ille ſit, fieri poſſe. Quinam vero eſt? Per fervorem, ut Evangelici operarii, qui una hora fecerant, quod alii diei totius ſpatio. Cogitatione, huc nos adeo parum pro Deo, & pro nobiſmetipſis feciſſe; nobis inſpirante quamdam vim, quæ efficiet, ut menſe uno plura faciamus, quam annis integris feciſſemus; opus eſt, ut memoria temporis amiſſi nos adigat ad meliorem uſum faciendum temporis præſentis. Hactenus modicas preces effudimus: & cum modica attentione, & mortificatione ad acquirenda merita, verbo parum bonarum actionum fecimus. Heu! plus faciendum eſt bonorum omnium in ſingulos dies, quam antea in hebdomadas ſingulas *Redimentes tempus,* vel ſecundum verſionem aliam, *conſtringentes tempus,* Tempus nobis eſt conſtringendum & per intenſionem faciendum quod per extenſionem non licet, ut loquuntur Philoſophi; veluti cum Solis radii collecti ſunt per ſpeculum uſtorium, calor major eſt in illo exiguo ſpatio, quam eſſet in majori. Tempus autem conſtringendum eſt hoc pacto, accuratius, attentius, ac denique ferventius omnes actiones noſtras faciendo. Hoc ſignificare vult magnus hic Apoſtolus admonens nos, ut tempus redimamus.

Quod ſi fervor via eſt adeo mirabilis progrediendi intra breve temporis ſpatium, ipſi conjicite quid fieret, ſi toto vitæ ſpatio fervorem hunc ſequeremur indeſinenter? Heu! quonam rubore ſuffundor quotieſcumque cogito, tot Fideles omnium ſtatuum, conditionum, quinquaginta, vel ſexaginta annos tanta cum ſolertia, & cura tranſegiſſe! Quæ meritorum congeries? Mecum tacitus reputo; quod gloriæ pondus, qui theſauri in futurum ſæculum adquiſiti? Sed ubinam modo fervor hic invenitur? Profecto, ſicubi Apoſtolus ait, non deeſſe *virtutes venturi ſæculi.* Libenter adjicerem non deeſſe quoque virtutes ſæculi præteriti, & quæ ſæculo hoc noſtro non videntur amplius, & adderem, fervorem ex hoc eſſe numero; quoniam quo caritas hæc celeberrima primorum Fidelium evaſit? quo abiit inexplebile illud paſſionum deſiderium, ardens zelus, & primorum ſæculorum mortificatio? Hæc omnia cum fervore intepuerunt, ita ut ſi hodierna die pauci videntur homines perfecti, & Sancti, inde proficiſcatur, quod parum fervoris adeſt, quæ ſola via eſt creſcendi, progrediendi, tandemque perveniendi ad perfectionem, & ſanctitatem. At oportetne, ut in rebus ceteris foveamus immenſa deſideria, ambitionem infinitam, ſemper creſcendi cupiditatem, & in ſingulos dies contentiones noſtras proferendi, cum in iis quæ ad ſanctitatem pertinent paucis contenti ſimus, videntes magnum hoc ſtadium late patere in tanta quotidie creſcendi neceſſitate, & cum Deus ipſe non alios conſtituat fines noſtræ perfectioni, quam ſuæ? Hoc inde oritur quod non adhibetur ratio omnium efficaciſſima, quæ fervor eſt, qua dempta ceteræ vel parum proſunt, vel nihilum. Ad nos extimulandos, & inflammandum in nobis fervorem hunc, Eccleſia identidem nobis proponit modo Apoſtolos maria traducentes Barbaris Evangelium nuntiaturos, modo Martyres, eorumque cruore utitur, ut nos rubore ſuffundat, & modo nova ſydera ſanctitate præfulgentia, ut viam nobis oſtendat. Noſtrum eſt, auditores, noſmet ad hæc exemplaria componere, imitando fervorem illorum, qui nos compellet ad omnia facienda, capeſſenda, patienda propter Deum.

III. PARS. Reſtat adhuc tertius fructus, quem paucis expediam, oſtendens fervorem hunc maxime neceſſarium eſſe ad obeunda præcipua Chriſtianæ vitæ officia, quam in ſenſu prorſus peculiari vocare poſſum vineam, in qua Deus nos tanquam colonos conſtituit, ut quilibet cum uberiori fructu operetur. Et ſane ſive Chriſtianus unice vacet ſuimet ipſius perfectioni, ſeu alienæ ſtudeat prodeſſe, aſſero, ſi fervor deſit, numquam illi aliquid proceſſurum ex ſententia in utraque; illum videlicet nihil vel ſaluti ſuæ profuturum, vel alienæ. Primum enim, ſi ad perfectionem adquirendam ſemper arma expedienda ſunt, ut inceſſanter confligamus cum cupiditatibus noſtris, & conandum eſt, ut mundo, ac nobiſmet emoriamur: hoccine conſequi poſſumus ſine animi robore, & quomodo robur hoc haberi ſine fervore? quandoquidem hic illud inſpirat, attenta potiſſimum infirmitate, atque inconſtantia voluntatis noſtræ, quæ laxatur, ac tepet ſenſim, ac ſine ſenſu optimis conſiliis; & quantumvis altius ſeſe attollat, proprio pondere deficit, quemadmodum violentus motus ſemper ſub finem tepeſcit, Hic autem ſatis violentus

lentus eſt motus, agere ſemper contra ſtudia ſua, & in jugi violentia verſari per accuratiſſimam regularitatem uſque in minimis rebus, quæ pertinent ad Religionem. Quæ enim vis nobiſmet inferenda non eſt, ut obnitamur ſemper torrenti naturæ noſtræ, qui nos trahit, & conrra dominans pondus illud, quo rapimur? Et mirum eſt ſi accidit ſæpe, ut cum Cæli ſubſidium validum ſatis non eſt, natura reparet quod ipſi ademerat gratia? ſi cupiditates noſtræ quæ non violentæ ſolum ſunt, ſed etiam verſutæ, ſi cupiditates inquam noſtræ aliqua ex parte propulſatæ, ex altera nova facie incurrant, & ibi benigne excipiantur? ſi amor proprius ſemper nobis fallendis intentus, ſæpe illudit nobis; & denique eo revertimur, ubi eramus antequam noſmet divino cultui manciparemus? Quod igitur remedium contra morbum, qui in ipſis nobis habet originem, quæ ratio confirmandi virtutem noſtram in tanta voluntatis noſtræ infirmitate? Non aliam novi, niſi frequenter ſubinde fervorem hunc fovere, & inflammare.

Quod ſi reſpexeritis Chriſtianum hominem non amplius generatim, ſed ſingillatim, Chriſtianum, qui præter propriam perfectionem, habet etiam pro ſcopo, ac fine, alienæ operam dare, quæ proprie vinea eſt, in quam Dei Filius mittit operarios: quæro a vobis, utrum his omnibus præſto eſſe valeamus, niſi fervor nos impellat ad hos ingrediendos labores, vel ſaltem nos iiſdem diſponat? Haud ita profecto: Hi enim caritatis motus ſimiles ſunt fluctibus aquæ ex vaſculo non egredientis niſi cum violenti ignis ardore calefacta eſt, & quæ hoc in ſtatu ſemet continere non poteſt. Hoc ipſum accidit Caritati, S. Bernardus ait, hæc ſuper proximum ſe non effundit niſi cum eſt per fervorem calefacta: *Caritas ubi exæſtuat, teneri non poteſt, immenſitatem æmulatur.* Progredior. Fieri ne poteſt, ut obeamus, non equidem dico, heroica munera, ſed ne vulgatiſſima quidem & maxime communia, ſi deſit fervor? Nam ſicut omnia plerumque ſervantur per eadem principia, per quæ eſſe inceperunt: cogitemus paullisper, quid fecerit fervor ſub ipſa Chriſtianæ Religionis primordia, ubi duodecim tantum viris fuit opus, ut Chriſti Fidem in omnibus ferme terrarum plagis conſtituerent.

Concluſio. Ecce igitur, Auditores, fervoris bona, quibus ſolum adjicerem, ſermoni huic facturus finem, hanc non eſſe virtutem, quæ longe petenda ſit, cujus infrequens ſit occaſio, & parum utilis praxis. Hæc omnium temporum eſt, omnium locorum: ſeſe immiſcet omnibus muneribus, afficit omnes actiones noſtras, particeps eſt momentorum omnium vitæ noſtræ. Seſe nobis offert mane experrectis, ut diei principium faciamus per actum fervoris, & in præcipuis vitæ noſtræ negotiis. Hæc quocumque nos ſubſequi poteſt, & in omnibus actionibus vitæ noſtræ; ſed libenter vocem adjicerem, quam Deo Salomon effudit ſapientiam impetraturus: *Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, quæ mecum ſit, & mecum laboret.* (*Sap.* 9.) Da mihi, Deus meus, ſanctum hunc fervorem, qui me ſequatur, & concomitetur quocumque, ut mecum precetur, agat, mecumque laboret: *quæ mecum ſit, mecumque laboret.* Sed ſi vultis generalem cauſſam ob oculos ſemper a vobis habendam, ea eſt quam nobis ſuggerit S. Paulus Apoſtolus per hæc verba: *Ut ambuletis digne Deo.* Videlicet, quidquid agimus, cogitemus a nobis ſemper ſerviri Deo, ideoque nobis ſerviendum eſſe eo modo, qui Deo dignus ſit, quatenus adeo ſublimis majeſtas meretur, & quatenus noſtra pati poteſt infirmitas: Et ſicuti prima cauſſa, propter quam noſmet illius cultui devovimus, eſt ſuprema Dei celſitudo, quæ æterna eſt, & ſemper eadem, ac erat olim, eadem ſemper vigente cauſſa, ſemper illi ſervire debemus eadem ſollicitudine, cura, actuoſitate, fervore: *Ut ambuletis digne Deo.* Numquam pro illo faciemus, quod fecit ille pro nobis, & poſtquam fecerimus quidquid potuerimus, ſemper dicere poſſumus, nos eſſe inutiles ſervos. Ille nos dilexit, & de nobis cogitavit ab æternitate, quæ præceſſit, amabitque per æternitatem omnem, quæ eſt ſubſecutura. Heu! ſaltem hoc modicum temporis ſpatium, quod inter duplicem hanc intereſt æternitatem, totum quantum eſt in cultu illius impendatur, ut mercedem nobis in Cælo præparatam promereamur.

SERMO NONUS.

De Gaudiis, quæ in Dei in cultu guſtantur.

Diſcrimen Gaudiorum quæ guſtantur in Dei cultu, & eorum quæ in mundo guſtantur.

DEus, & Mundus duo ſunt Domini, qui ad cultum quiſque ſui homines omnes conantur allicere: alter quidem nobis promittit gaudia, voluptates, & quidquid ſenſus noſtros palpat; alter vero nobis cruces proponit, pœnas, paſſiones; ſed per vos mihi liceat dicere oculos, mentemque noſtram nequaquam debere immorari in externa ſpecie, & veluti cortice harum promiſſionum. Mundus nos fallit, & jam pridem hanc exercet artem, ut hæc diu latere non poſſit, & licet illam palam profiteatur, tamen illum mortalium plerique ſequuntur. Deus quoque & ipſe, credetiſne? videtur nos fallere, quia nobis cruces, laboreſque tantum in ſui ſequela pollicitus, eos tanta ſuavitate perfundit, ut illa famuli ejus omnibus Mundi deliciis anteferant. Ego vero hodierna die omnem ex vobis excutere volo, ſi fieri poteſt, errorem, vobis oſtendens in Dei ſervitute multo minus eſſe ferendum, quam iis qui mundo famulantur; & gaudium, & voluptates, quæ in mundo guſtantur, comparandas non eſſe cum illis, quas delibat Deus illis, qui omnino illius cultui ſe mancipant.

I. PARS. Ut re adhuc integra vobis perſuadeam pœnas, quæ ſuſtinendæ ſunt in Dei cultu, toto Cælo mitiores illis eſſe, quas Mundus ſectatoribus ſuis ſuſtinendas infligit, ſatis eſſet proferre teſtimonium Veritatis ipſius, aſſerentis jugum ſuum ſuave eſſe, & qui illud ſubit requiem invenire, & geſtare ſarcinam, quam ſervis ſuis gerendam imponit. Verum cum oppoſita magis tunc eluceſcant, ubi ſimul comparantur, ſimul opponam labores, in cultu utriuſque hujus Domini ſuſtinendos, ſive conſideremus utriuſque irrogata præcepta, ſive ipſam præcipiendi rationem, ſive tandem mercedem, quam pollicentur, & qua noſtrum remunerantur obſequium; quoniam hæ totidem ſunt rationes, quæ nobis perſuadere debent de prima hac veritate, quam illi dumtaxat noverunt, qui experientia magiſtra illam didicerunt

Primum quod pertinet ad ea, quæ uterque flagitant, non requiritur magnus uſus Mundi, ut intelligamus nullum eſſe ſtatum, nullum munus, nullam hominum conditionem, in qua ſi æque metimur officia, & onera illis inhærentia, non cognoſcamus difficultatem obeundi illa, toto Cælo majorem eſſe ea, quæ in Dei cultu invenitur. Itaque Auditores nihil vobis ſum diſſimulaturus, & ſicuti non fert animus virtutis auſteritatem magis, quam revera ſit amplificare, neque illis os horrentius affingere, quam vera ejuſdem natura patiatur; ita neque ab eadem avulſurus ſum difficultatem, ac laborem, quibus ſepoſitis virtus non eſſet amplius. Igitur in Dei cultu ſuſtinendum eſt, neque hoc in dubium poteſt revocari; & mollities eſſet homine Chriſtiano indigna, emendicare diſpenſationem, & privilegia, quæ in alterius cujuſpiam Domini ſervitute non inveniuntur. Sunt igitur in Dei hujus cultu præcepta, quæ noſtris adverſantur ſtudiis, & voluptatibus; ſed crux eſt ferenda, ſibimet abnegandum, inceſſanter bellum cupiditatibus inferendum. Hæc omnia dura ſunt, & corruptæ naturæ moleſta, diffitendum non eſt; at melior ne eſt Mundi ſectatorum conditio? Faciliora illis proponuntur præcepta? Mundi leges ſuaviores ne ſunt, & commodiores? Num aliquis vitioſus eſt, minori ſumptu, ac labore?

Ut aſſertam veritatem meridiana luce clariorem videatis, ſenſibilibus tantum utar argumentis ex ipſa experientia depromptis; ut opponam tantum utriuſque Domini leges, Evangelii dogmata ſæculi placitis, & præcepta Dei, Mundi præceptis. Homo exempli gratia honorem ſuum ſibi idolum conſtituit: ad quid hoc gloriæ violentum deſiderium non cogit illum? Opus eſt ſecundum Mundi leges, ut vitam ſanguinemque ſuum ſacrificet, ut ad gloriam hanc adquirendam aſcendat in muri dejecti ruinam, & per grandinem telorum, ignitorumque globorum crepantium millies, ac millies vitam ſuam mortis periculo objiciat; idque propter exiguam honoris auram, quæ ſæpius evaneſcit. Ulla ne in Chriſtiana Religione lex eſt æquæ crudelis, ac dura? Non ita profecto; & id quod heroice factum in Dei cultu videretur, non niſi commune eſt officium, & inevitabilis neceſſitas in famulatu: & qui hoc præſtare detrectat, e gradu dejicitur. Alter ille per immodicam ambitionem vult creſcere? Quot immania, & ambitioſa deſideria vitæ illius tranquillitatem non perturbabunt? Ille opes congerere cœpit? Bone Deus, quot ſollicitudines, quot curæ? Pro lite una perſequenda, quibus motibus ſe ſe non exercebit? Pro minimis quibuſque negotiis quot ægritudines perferendæ, vorandæque non ſunt? In iis, quæ nobis præcipit Deus, vel a nobis requirit aliquid ne huic ſimile eſt, & æque moleſtum? Vos ipſi negabitis. Non excipio ſeveriſſimas auſteritates, quæ in auſteriſſimis clauſtris exercentur. Ipſe etiam voluptatibus addictus, antequam ſua fruatur voluptate, quot guſtat amaritudines? Quot metus, terrores, conſcientiæ ſtimulos, morſuſque non ſuſtinet? Quod in cauſſa eſt, propter quam jure S. Auguſtinus hoc jugum ferreum appellet cum propter duritiem, tum propter difficultatem illud excutiendi, ac infringendi. Non igitur labor, neque difficultas, quæ in Dei cultu reperiatur, deterrere nos debet: *Qui fingis laborem in præcepto,* (*Pſalm.*93.) ut inquit Propheta. Non ideo res difficilis eſt: quia Dei Lex nihil habet tam incommodum, nihil adeo rigidum, & auſterum, quod cum Mundi lege ſit exæquandum.

Nonne igitur turpe eſt, Auditores, homines ſollicitius feſtinare, ut bajulent crucem nocentium, & vix inveniri qui deferant crucem Filii Dei? Coarctari non poſſumus ut quotidie ſingulas oras in precibus inſumamus; & dies, noctesque in moleſto opere traducuntur? Horæ quadrans aſcetici libri lectioni datum, videtur tempus pœnitentiæ; & dies integri in evolvendis litium tabulis tranſigentur? Alterum altero jucundius eſt. Non ita ſane; ſit tamen libentius. Hujus rei cauſſam poſtulo, neque enim aliam video, quam noſtram ſenſus carentiam in iis, quæ cæleſtia ſunt: quandoquidem Mundus, herus hic adeo moroſus, & prorſus crudelis fautores habet omnium conditionum, & eos, qui ſequuntur illum per ſpinas, & prærupta montium; & ad ea, quæ vel leviſſima propter Deum facienda ſunt, ſemper querimoniæ audiuntur, & minima quævis difficultas deterret. Tandem enim ſi pro altero fieret, quod fit pro altero, quæ meritorum congeries, quis gloriæ cumulus non adquireretur?

Hæc de cauſſa Regius Propheta Deum flagitat, ut ſe ipſi æquum judicem præbeat ad ſcernendos labores ſuos a laboribus eorum, qui mundo inhærent, & ut de ſuis meritis judicet: *Judica me Deus, & diſcerne cauſſam meam de gente non ſancta*, (*Pſ.* 41.) Quamobrem, quæſo, hoc poſtulat? Nihil propter Deum facimus quod pro alio quopiam objecto ab aliis non fiat. Jejunamus, & abſtinentiam exercemus: ſed avari non ne tantundem faciunt, ſibi earum etiam uſum interdicentes, quæ ſunt ipſis maxime neceſſaria? Vigilamus, nocteſque in oratione traducimus; milites, homines negotioſi, ipſi etiam opifices non ne aliquid huic ſimile faciunt? Noſmet humiliamus, & ad omnium pedes noſmet ſubjicimus. Heu quot ignavi aſſentatores his plura non faciunt, ut deinceps ſe attollant, & propoſitum ſibi finem aſſequantur? O magne Deus, Propheta inquit, cum numerabis labores noſtros, atque cruciatus, utrorumque cognitionem inſtitue; nam licet Mundi ſectatores eadem peragant, & ſæpe etiam longe plura faciant, quam nos; hoc ſaltem diſcriminis intereſt, quod nos illa propter te operamur, illi vero propter proprias cupiditates.

Sed licet omnes difficultates, quæ in Dei cultu prætexuntur, longe graviores eſſent, quamvis plerumque non aliud ſunt niſi puerorum terriculamenta, numquid juſtus eſſet recedendi color, & cauſſa? Nam ſi quod nobis præcipit Deus incommodat ſenſibus, ſaltem negari non poteſt, hoc eſſe rationi conforme & naturali innixum æquitati, quæ noſmet jubet ſubjicere. Quod ſi modo inſpiciamus perfectionem Evangelii, ad quam Chriſtiano viro contendendum eſt, ſi quod laboris eſt, quod ſane liquet, nonne una ex præcipuis Evangelicis veritatibus eſt, laborem hunc leniri ſubſidio, quod ad id nobis ſuppeditat Deus? Ita cum a Dei cultu recedimus prætexentes difficultates, quæ adſunt in officiis obeundis, imitamur ſpeculatores illos, qui miſſi fuerunt ad cognoſcendam terram, quam Deus promiſerat filiis Iſrael; domum reduces populum perterruerunt dicentes, ſe vidiſſe urbes, & propugnacula in Cælum uſque minantia, quarum incolæ monſtra erant corporis immanitate, & inſignem eſſe temeritatem ſperare, ſe regionis illius potituros, quandoquidem terra ipſa devorabat ſuos habitatores. Hæc ea ſunt, quæ ipſi nobis fingimus in Dei ſervitio; nos numquam habituros eſſe vim ſuperandi omnes difficultates, quæ nobis ſuperandæ occurrent a dæmone, a nobiſmetipſis, & ab impotentia cupiditatum noſtrarum, quin cogitemus de gratiis inhærentibus ſtatui, muneri, vocationi ſingulorum, neque de habitibus ſupernaturalibus, quos Deus largitur, pro virtutibus omnibus ſingillatim. Per hæc enim ſubſidia, & gratias triumphat Deus de ingeniis maxime rebellibus; & facilia facit quæque difficillima; virtus jucunda fit iis, qui ſatis habent fidelitatis, atque perſeverantiæ ad eam exercendam: arctam eſſe viam hanc, quam nos ingredi jubet Deus, tamen quodammodo latiorem fieri, & deinceps cum alacritate ad finem perduci, quod ægre, & non ſine magno certamine inceptum eſt.

Hoc intellexit tandem S. Auguſtinus duce experientia: *Quam ſuave*, ait ille, *mihi ſubito factum eſt carere ſuavitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium fuit!* (*l.9.Confeſſ.*) Reſpiciebam tanquam factu arduum, primos habitus convellere, mihi fingebam, vitam ſine voluptatibus, futuram mihi mortem non ferendam; & mihi perſuadebam conſilium hoc æque temerarium eſſe, ac chimericum, frangere turpia vincula, quæ mihimetipſi nexueram. Ideo non audebam incipere, veritus ne ad finem pervenire poſſem, ſed mihi videre videbar monſtra, quorum ſola cogitatio me perterrebat. Nam ex quo manum operi admovi, qui mihi viſi fuerant inſuperabiles obices, faciles nactus ſum ope gratiæ tuæ Deus. Quo magis conabar me ipſum vincere, difficultates evaneſcebant, & experientia auferebat mihi funeſtam, fallacemque imaginem, quam propoſueram mihi de legis tuæ ſeveritate; Sarcina, quam minime ferendam putabam, ferenti facta eſt ſuavis, & levis.

Itaque, Auditores, ſi recedere voluerimus a cultu Dei propter difficultatem, quam experimur in legum ejus obſervantia, quæ nobis crucem figit, & noſtram coarctat libertatem, Deus aliquando ignaviam noſtram confundet, atque oſtendet, defectum non proficiſci a præceptorum auſteritate, ſed ex voluntatis noſtræ nequitia, quia nobis irrogata præcepta, non erant trans mare, neque ſuper montes poſita, ut per Prophetam loquitur, ſed in medio noſtri; & in eo conſtituta, ut noſtris perfungeremur officiis, quod res ipſa noſtra ſuadebat, gratiam, & opem illius nobis numquam defuiſſe; verbo jugum illius ſuave eſſe, & onus, quod nobis deferendum imponebat, facili labore geſtandum: *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* (*Matth.* 12.)

Sin autem prima hæc ratio deſumpta ex legibus, & præceptis, quæ Deus, & Mundus irrogant non ſatis nos de veritate hac perſuadet, excutiamus alteram decerptam ex modo, quo uterque hic Dominus utitur erga nos, & quo nobis imperat. Conſtat enim Auditores, quemlibet herum cum ſervis ſuis ſe gerere ſecundum ingenium ſuum, atque libidinem; Phantaſticus, & imperioſus centum ſimul imperabit ſecum pugnantia: Avarus omnium rerum rationem haberi vult, ſimilis Evangelico illi: *Homo auſterus es, metis quod non ſeminaſti.* Iracundus, & furens impotenter præcipiet, imperiis ſingulis addet contumeliam, & volet prius imperata fieri, quam imperare. Deus autem dominorum omnium mitiſſimus eſt, æque ac facillimus; nam officioſa ſuavitate, & admirabili indulgentia, quin cogat nos ſequi ingenium ſuum, ſe ſe noſtro accommodat; mortalium ſtudia, variaſque propenſiones ſcrutatur, ut ſe illis ſubjiciat: novit rationem habere ſpirituum tanta ſuavitate, ac dexteritate, ut cum aliquem vocat ſibi famulaturum, quantumvis hic a virtute abhorrere videatur, Deus ſenſim, & ſine ſenſu ei ſuum communicet ingenium, eique dumtaxat objectum mutet: Cum inſtabili, moroſoque Mundi ingenio parere oporteat, ſequi illius mores, & voluntates, ſenſus ejus & placita induere, & credit adhuc ſe de nobis perquam optime mereri, quotieſcumque illius partes ingrediamur. Itaque ergo illi placituri, quam vim, quam crucem ſuſtinere debemus? Quot nobis afferenda ſunt? Quot perſonæ induendæ?

Quidam exempli gratia fortunam ſuam præſtoletur ab alio; non ne omnem hujus hauriat oportet libidinem, ſtudia inquirat, omnibus illius voluntatibus obſequatur? Non ne illum palpare tenetur, & in ſingula momenta metuere, ut favoris ejuſdem jacturam faciat? Non ne dici poteſt de Mundi ſervitute, quod S. Paulus dicebat ratione ſui ipſius de ſervitute Dei: *propter te mortificamur tota die*? Mortificatus ſum a diluculo ad veſperam; nil eorum facio, quæ volo; ſexcenta mihi exhaurienda ſunt, quæ mihi diſplicent; mœror opprimit me, ſollicitudo me conturbat, timor me humi affigit. Mihi diſſimulandum eſt, & aliena perſona in ſingula momenta induenda eſt mihi; cupiditates meæ coercendæ mihi ſunt; dolor diſſimulandus: ulla ne eſt ſervitus hac intolerabilior? Quid ergo? Num pro nihilo habes has omnes cautiones, & hanc jugem obedientiam, quam debeo præſtare? Non ne confitendum hoc unum efficere jugum hoc durius jugo Filio Dei? Et quod magis eſt admirabile, illud eſt, quod mortales id genus, qui ſunt ſuarum cupiditatum mancipia & profitentur ſe devotos Mundi ſervitio, deoſculantur catenas, quibus in turpi hac ſervitute tenentur, ſuſpirant ſub jugo, quod timent, ut frangant, & ſæpe eos lædunt, quibus placere adnituntur per ea ipſa, per quæ gratiores illi eſſe oportebat. At ſi ſummi, verique Domini gratiam aucupari velim, quotieſcumque illi placere voluero, ejuſdem amicitia dignabor: *Amicus Dei, ſi eſſe voluero, ecce nunc fio*; (*Lib.8.de Confeſſ.*) quomodo narrat S. Auguſtinus de Aulicis duobus, qui mundo vale extremum dicere decreverunt, ubi S. Antonii vitam legerunt.

Hæc una fuit ex conſiderationibus, quæ magis magiſque S. Auguſtinum ipſum commovit, majoremque in illius mente impreſſionem peperit; cum incertus adhuc conſilii, utras partes ſequeretur, & cui domino ſe traderet, Deo hinc quidem potenter urgente interioribus gratiis, inde vero mundo illum retinente vinculis habituum ſuorum; hæc tandem cogitatio acriter mentem ejus perculſit quadam die, cum omnes tentaret vias, quibus aditum ſibi aperiret apud Cæſarem, cumque obtinere non poſſet. Quid! ajebat ille, ſexcentis laboribus mereri non poſſum intuitum terreni Principis; quandonam igitur eo perveniam, ut illi placeam? Sed ut Dei amicus fiam, & in ejus familiaritatem ingrediar, velle ſatis eſt; ille primus amicitiam meam flagitat, me alloquitur per ſecretam ſuarum gratiarum vocem, & quaſi famulatus noſter illi utilis eſſet, ac neceſſarius, ut eo carere non poſſet, plus nobiſcum diſſimulat, quam cum mundi Principibus nobis diſſimulandum ſit, ut favorem eorum foveamus. Nos pluſquam materno amore proſequitur: amantiſſimi Patris, & generoſi amici curas gerit; ſua putat intereſſe, quidquid noſtra refert; ærumnis noſtris afficitur, nobis ſolatium afferre ſtudet in noſtris calamitatibus; amicus eſt omnium temporum, & omnium momentorum, ſemper præſto, ut noſtras audiat petitiones, & noſtris conſulat egeſtatibus. Heu! quandoquidem res ita ſe habet, ajebat ille, non alium umquam habebo Dominum, præter Deum; quandoquidem mundus adeo ingratus eſt ſervientibus ſibi, & dominus eſt non ſolum crudelis, & ſuperbus, verum etiam injuſtus, & ingratus.

Hæc tertia ratio eſt, quæ me perſuadet, labores, qui in mundi ſervitute ſuſtinentur, duriores eſſe inhærentibus cultui divino, ubi comparanda merces, quam Dominus uterque pollicetur, vel tribuit ſervientibus ſibi. Noſtis enim, Auditores, labores non alia re magis leniri, quam ſpe mercedis. Corona, quæ eminus nobis exhibetur, efficit, ut omnes obices ſuperemus. Spiritus hoc objecto animatus, quin de labore cogitet, nonnumquam ſupra ſeipſum attollitur, & diceres omnem evaneſcere difficultatem, ex quo fructus prævidetur. Nolo tamen prolixius loqui de vitæ alterius mercede, cujus ſola cogitatio tot animarum decies centena millia compulit, ut arctam Evangelii ſemitam amplecterentur, & omnia mundi hujus magnalia pedibus calcarent. Dico ſolum Deum fidelem in fide ſuarum promiſſionum ſervanda, & juſtum in remunerationibus ſuis: mundum vero duas habere prorſus oppoſitas qualitates: Infidelis eſt, quia fruſtratur ſectatores ſuos mercede exantlatorum laborum, & ita injuſtus eſt, ut illam ſemper indignioribus tribuat quin ullam habeat rationem meritorum, vel magnitudinis pœnarum, quas quiſque illi ſerviens ſuſtinuit.

Etenim quid quæſo non ſuſtinetur ad inquirenda modica bona? Quis labor in ſtudio ad adquirendam ſcientiam, cujus fructus incertus eſt? Quot pericula militiæ adeunda pro adeo parum certa mercede? In rebus vero ceteris nonne adquiſitio diuturnior eſt perfruitione, ac poſſeſſione? Sed quot etiam ſunt, qui nihil unquam adquirunt? Mundus nonne repletus eſt iis, qui inceſſanter deplorant pravum laborum ſuorum exitum,
quos

quos ſuſceperunt, ut certam ibi fortunarum ſuarum ſedem facerent? Quot ſunt, qui poſtquam ſudores, laboreſque ſuſtinuerunt, ut in mundo niteſcerent, dies ſuos obeunt in paupertate, quam evitare contenderunt per incommoda ipſa etiam paupertate majora? Quot, qui poſtquam in armis incanuerunt, & plura meruerunt ſtipendia, nonniſi vulnera, & cicatrices reportarunt, ac ærumnas, quæ illis facultatem ademerunt reliquam dierum ſuorum partem in pacis tranquillitate ducendi? Quot poſt ſexcentas lites, & fori jurgia, bona ſua obligaverunt, quin ullam pro præſenti conſolationem invenirent, & quin ſe in futurum habituros ſperarent? Hoc accidit, quia Mundus æque infidelis eſt, ac injuſtus, quia inani, & chimerica ſpe paſcit ſua mancipia; quia jubet nihil inauſum relinqui, & rei nullius habet rationem; quia verbis perſolvit facta vera, veroſque labores; quia in ſingulos eorum qui optatum finem aſſequuntur, mille numerantur, qui in portu faciunt naufragium, & de hoc mundo auferuntur tunc cum laborum ſuorum fructum erant percepturi.

Sed in cultu Dei quam impreſſionem efficere non debet in animo noſtro ſpes præmii, quod nos manet, adeo magni, adeo certi, & quod toto Cælo cogitationes, & noſtra excedit deſideria? Propter hanc ſpem S. Paulus non vult, labores, ac paſſiones, quæ concomitantur praxim virtutis vocari nomine laboris, atque triſtitiæ: *Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes.* (*2.ad Cor.*) Hæc videtur quidem triſtitia, non eſt tamen, quia illam ſubſequitur gaudium: ſed id quod mundi triſtitiam veram efficit triſtitiam, eſt, quia nulla mercedis ſpes eam lenit & e contra mors illam ſubſequitur: *Sæculi triſtitia mortem operatur.* (*Ibid.*) Videlicet diſponit ad æternam triſtitiam, & audeo dicere, infernus eſt præcox. Neque aliis opus eſt argumentis, cum adſit proprium mundi aſſeclarum teſtimonium, in libro Sapientiæ, ubi poſt mortem ſuam agnoſcunt cæcitatem, & queri incipiunt ſe laſſatos eſſe errore viarum: *Ambulavimus vias difficiles.* (*Cap.5.*) O quam cæci eramus, & inſipientes! Heu! Parum eſt in malorum omnium abyſſum incidiſſe; quandoquidem huc adducunt gaudia, & voluptates mundi; ſed huc veniſſe per vias inæquales, & præruptas, ſpinis conſitas, & ſalebroſas, hoc eſt duplo eſſe calamitoſiores: *Ambulavimus vias difficiles.* Et nullus dubito quominus hoc illis majorem afferat dolorem, atque deſperationem, cum inter ſupplicia Deus illis oſtendit quomodo per eaſdem pœnas, atque etiam multo minores, & per labores eoſdem immo leviores æternam illi conſequi potuerint felicitatem; cum illis oſtendit, futurum fuiſſe ut minus delaſſarentur recta pergentes, quam aberrantes; & verbo, illos ſalutem ſuam minoribus ſumptibus aſſecuturos fuiſſe, quam iis, quibus æternum ſibi conflarunt exitium.

Poſt hujuſmodi confeſſionem, fieri ne poſſet, ut adeo eſſemus incauti, ut ſervitutem domini adeo crudelis, libidinoſi, & injuſti divino cultui anteferremus? Vulgo inſimulantur homines imprudentiæ, & ſtultitiæ nomine, cum terrena gaudia cæleſtibus anteponunt; ſed modo cum eadem, & multo majora ſuſtinenda ſint pro mundo, quam pro Deo, quo nomine vocandi ſunt illi, qui perire malunt patientes ſine ſpe, & ſine conſolatione, ac deferentes Mundi, dæmoniſque crucem, quam illam Filii Dei, toto cælo ſuaviorem, levioremque? Quamvis omnia gaudia, omneſque deliciæ in parte altera invenirentur, in altera vero labores omnes, & cruces; adhuc tamen deliberandum eſſet, pars utra eſſet præferenda. Deus mereretur ceteris quibuſcumque dominis anteferri; cum autem in illius cultu guſtentur ſumma gaudia, quæ longiſſime ſuperant mundi gaudia, & delicias, quam cauſſam prætexere poſſumus, ut nolimus huic nos devovere? Hoc in Parte ſecunda viſuri ſumus, ubi comparaturus ſum gaudia juſtorum, atque ſervorum Dei, cum gaudiis mancipiorum Mundi, quemadmodum eorum pœnas, & cruces comparavimus.

II. PARS. S. Auguſtinus poſtquam diu quæſivit, & quantum potuit, guſtavit gaudia, & voluptates mundi, ipſe eorum tabulam ad vivum expreſſit, in Epiſtola ad Licentium ſcripta, ubi ut adoleſcentem ab hoc gaudiorum genere avocaret, tria tantum adhibet verba: *Mentiuntur, moriuntur, in mortem trahunt.* Ecce tria verba, quæ nobis repræſentant naturam, proprietatem, & effectus gaudiorum mundi; neque puto plura paucioribus verbis poſſe ſignificari. *Mentiuntur*: Hæc gaudia nos fallunt; non enim illis eſt niſi ſpecies, & fucus voluptatum, neque nobis ſatisfacere poſſunt. *Moriuntur*; celeriter prætereunt, vix nitent, cum jam fugiunt. *In mortem trahunt*: Sunt excidii noſtri cauſſa, nos in æternam detrudunt miſeriam. Hic character eſt, maxime naturalis, qui fieri valeat harum voluptatum. Sed cum hæc compendioſe nimis dicta ſint, liceat mihi per vos latius de his rebus diſſerere, ut per anthitheſim vobis oſtendam ſoliditatem, durationem, & magnitudinem eorum, quæ in Dei cultu guſtantur. Repetamus igitur, ſi vobis lubet, ſingillatim quodlibet verbum, ut vobis vividior imprimatur idea, & per otium ſingula cognoſcatis per comparationem a me inſtituendam gaudiorum mundi, & eorum, quæ Deus famulis ſuis delibat.

Primum igitur mundi gaudia nos fallunt, *mentiuntur*. In ipſa tantum ſuperficie ſubſiſtunt, quin pervadant in cor, quin veram ſatisfactionem tribuant, & licet parum rerum humanarum ſtatus inſpiciatur, ſtatim illorum infirmitas intelligitur. Hac de re ipſi etiam Ethnici teſtimonium perhibuerunt; teſtimonium quod hac in re poteſt admitti, quandoquidem ſine præoccupatione loquuntur, & in ſuſpicionem incidere nequeunt, quaſi ſenſum ſuum diſſimulaverint, qui eſt tanquam vox veritatis ipſius, quam natura, & ratio ex eorum labiis, & corde deprompſit, & in ipſorum ſcripta traduxit, ut nos majori cum ſinceritate erudirent. Quæro igitur cum Philoſopho Seneca, undenam dimetiamini hominis felicitatem, cujus fortuna, & ſtatus oculos veſtros perſtringit? Videtis præclaras illius ædes, ſupellectiles pretioſas, magnificam familiam, & ſumptus immenſos; ſed quidnam horum vos moratur! Judicium ferte de rebus ipſis quin in vanis circumſtantiis immoremini; homines introſpicite, neque aſpiciatis ea, quæ ambiunt illum. Heu! Si cor illius penetrare liceret ubique videre ſuis cupiditatibus perturbatum; habens intus tot dominos, quot domi famulos habet; lancinatum tot carnificibus, quot illius ſunt deſideria; ſtatim intelligeretis illud miſeratione dignius eſſe, quam invidia, videntes illud nulla frui tranquillitate, & mœroribus, atque triſtibus curis cor illius cotabeſcere. Huic idem accidit, S. Auguſtinus ait, quod homini mœrore, & triſtitia confecto, & cujus intereſt cauſſam diſſimulare; receſſum quærit, vel faciem involvit, ne videantur lacrimæ ex oculis effluentes. Ita hujus ſæculi beati ſub fallacis felicitatis ſpecie veros dolores tegunt, cordis ſui amaritudinem, animam ſexcentis cupiditatibus æſtuantem, cor ſexcentis deſideriis perturbatum, inquietum, & hujuſmodi, ut cum ad felicitatis cumulum evaſiſſe creditur, tunc vere ſit infeliciſſimum.

Hoc, Auditores, nobis ſignificare voluit Sp. Sanctus in Apocalypſi ſub figura Babylonis impudiciſſimæ, quæ in aureo cratere omnibus mancipiis ſuis propinat; ſed poſtquam illi inebriati ſunt, in ima parte ſubſidet fæx amariſſima, qua veneno inficiuntur. Hæc eſt pictura gaudiorum, & voluptatum Mundi. Homines ſæculi ſuavitatibus inebriantur, eas requirunt, eas ardentius conſectantur, illas depereunt; ſed poſtquam illas guſtaverunt, quid illis reliqui eſt? *Verumtamen fæx ejus non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ.* Fæx, amaritudo, patientia, dolor in imo ſubſidunt calice. Mortalis qui ſuis ſenſibus, & cupiditatibus indulſit, num ideo eſt voti ſui compos? Ipſe jam novit votorum ſuorum ſummam nequaquam attigiſſe, quia nihil illi remanet præter verecundiam, & pœnitentiam, Non miror tamen; quandoquidem omne gaudium, quod hæc bona conferre poſſunt, extrinſecum eſt dumtaxat, & externam dumtaxat ſpeciem habet, & fucatam pulcritudinem. Voluptuoſe! quanto igitur in errore verſaris, qui putas vitæ beatitudinem reperiri poſſe in flagitiis, ac libidinibus tuis, nonne vides te per hæc ipſa longius a beatitudine tua aberrare? Nam quidquid feceris te ipſum auferre non poteris probris, ac ſtimulis conſcientiæ tuæ. Exorna, & inſtrue quoad volueris menſam dapibus exquiſitiſſimis; tibi permitte, quidquid Divina lex vetat quoad voluptates: ſæpe ſtatim plecteris eo dolore, quem parit læſa conſcientia. Ergo in his omnibus es miſer, & quin veram guſtes lætitiam, tecum geris tuam infelicitatem, quandoquidem eſt in te ipſo.

Et ſane quiſnam, amabo vos, efficere poteſt, ut lætitia ad cor ipſum pervadat, niſi ſolus Deus, juxta illud, quod Salvator in Evangelio pollicitus eſt: *& gaudebit cor veſtrum, ut gaudium veſtrum ſit plenum?* (*Joan.16.*) Creata neſciunt quomodo, vel qua penetrent in cor; Deus unus viam cognoſcit, & cum illud conſolari dignatur, nulla eſt ſenſuum voluptas, nullum in mundo ſolatium, quod valeat comparari. Etenim, quin loquar de favoribus, & inuſitatis illecebris, quibus quaſdam animas electas dignatur; iis tantum immoror, quæ juſtis omnibus ſunt communia: videlicet lætitia conſcientiæ bonæ, qua Sapiens juge vocat convivium, ſemper inſtructum ſine ſumptu, ſine tædio. Lætitia hæc in ipſa percipitur anima; hæc requies eſt ſuavis, & tranquilla, oblectatio ſolida, & immutabilis; denique aliquid eſt ita magnum, ut dici poſſit ſi qua in hac vita felicitas eſt, & gutta veræ voluptatis in hac lacrymarum valle, hanc eſſe in rectæ conſcientiæ teſtimonio, quod unum ſupplere poteſt jacturæ, vel abſentiæ reliquarum voluptatum; nam ſicut viri boni guſtant ſemper malaciam, & pacem in corde per teſtimonium, quod illis perhibet cor ſuum; nihil extrinſecus eſt, quod eorum immutare, vel perturbare valeat felicitatem.

Quapropter hoc gaudium ſervorum Dei magnificis ſane verbis exprimitur in Scripturis. Sanctus Joannes illud manna abſconditum vocat, quod nonniſi a guſtantibus illud cognoſcitur: Sanctus Paulus illud pacem incomprehenſibilem vocat; *Pax Chriſti, quæ exuperat omnem ſenſum*; (*Ad Philip.*4.) Iſaias Propheta, requiem deliciis affluentem, ſed Salvator ipſe illud unico verbo expreſſit, cum illud gaudium plenum appellat: *Ut gaudium veſtrum ſit plenum.* Gaudium eſt non ſolum, quod ingreditur in cor, ſed quod illud replet, & abunde replet; *Superabundo gaudio*, ut ajebat S. Paulus, & ut generatim loquar, gaudium quod in Dei cultu guſtatur, purum eſt gaudium, ſine ulla ægritudinis mixtura, gaudium, quod obnoxium non eſt moroſæ illi pœnitentiæ, quam mundi pariunt voluptates, gaudium ſanctum, quod quin hominem polluat, non ſecus ac impiorum gaudia, illum puriorem, & Deo efficit acceptiorem: *Reficis, nec inficis*, ut S. Auguſtinus dicebat; quia Deus ipſe illud infundit in cor.

Quod ſi hac de re dubitatis Auditores, qui gaudium hoc vere eſt manna vobis abſconditum, vos aptos efficite illud guſtando, & vobis hoc veſtra perſuadebit experientia: exhaurite cor veſtrum, ſi vultis a Deo illud repleri; nuntium mittite pinguibus Ægypti dapibus, ſi guſtare vultis hoc manna, quod nonniſi in deſerto invenitur; verbo, relinquite terrenas
volu-